

J. Jacobs

EPISTOLAE CATHOLICAE  
2  
AD ANALYSIN LOGICAM REDACTAE,

ET


NOTIS PRAEVIIS AC CONSECTARIIS ILLUSTRATAE,

AUCTORE

ANT. VAN DE LAAR,

SEM. BUSCODUCENS. PROF.

„ Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, septem  
„ epistolas ediderunt tam mysticas quam suc-  
„ cinctas, et breves pariter ac longas: breves  
„ in verbis, longas in sententiis; ut rarus sit,  
„ qui non in earum lectione caecutiatur.” (s. Hier.  
ad Paulin. epist. „ Frater Ambrosius.”)




Gestel St. Michaëlis,

EX TYPOGRAPHIA DIOECESIS BUSCODUCENSIS IN  
INSTITUTO SURDO-MUTORUM.

—  
1879.

IMPRIMATUR.



HAAREN, die 6 Maii 1879.

**J. Cuyten,**  
*Pres. Sem. Libr. Cens.*

## PRAEFATIO.



Necessariis et maximis de causis *Exegesis* epistolarum Apostolicarum angustis terminis concluditur in Seminariis.

Certe in Seminario nostro jam inde a majoribus consuetudo tenet, ut per quatuor annos, quibus, ex edicto Synodi Provincialis <sup>1)</sup>, ad minimum disciplinis Theologicis incumbendum est, singula hebdomade horae unius circulus exponendis epistolis Paulinis atque Catholicis tribuatur.

Nemo unus rei vel paululum expertus incipias ibit, spatium agendae rei tantae, tam oppido, inquam, difficili <sup>2)</sup> quam maxime utili, dari perexiguum, imo — ut verum fatear — brevius quam ut equidem prolegomena consueta, capitumque summam dictare, ipsumque textum sacrum vel leviter exponere, verbo : pensum intra statutos terminos absolvere potuerim.

<sup>1)</sup> Tit. IX. cap. II. *De institut. cleric. in Seminariis*, p. 313.

<sup>2)</sup> Cfr. II. *Pet.* III. 16., et verba s. Hier. in operis limine posita.

Atque haec quidem palam profitens, nemini tamen quidquam de venerabilium patrum nostrorum laudibus carpere videar. Profecto viri illi expertissimi, in moderando praedicto ordine prudenter sapienterque necessitati paruerunt. Si namque consideres hinc ipsum quadriennii spatium, illinc amplissimum ipsius Theologiae scientiae campum, evidens est, necessariis utilia cedere debere, et inter utilia ipsa, quae magis utilitate praestant, seligenda esse. Jam vero ex ipso Seminariorum fine principali, qui est, „ut in iis boni strenuique operarii efformentur, qui ad nutum Episcoporum dioecesibus inserviant” <sup>1)</sup>, facile consequitur: „Alumnos *Scripturae sacrae* studium prae ceteris omnibus diligere debere, Theologiae tamen tum dogmaticae tum maxime morali, cum speciali zelo ipsis operam dandam esse. Enimvero *Theologiae dogmaticae* notitia sacerdoti valde necessaria est ut fidei dogmata contra adversarios defendere, et fidelibus clare ac dilucide in concionibus et catechesibus proponere valeat. Officium porro confessarii, ad quod Alumni destinati sunt, procul dubio sine notitia *Theologiae morali*s debite adimpleri nequit.” <sup>2)</sup>

Quum igitur Alumnorum studia profundiora praesertim circa res theologicas occupentur, etiam in ipso opusculo nostro rerum exponendarum momentum *dogmaticum* et *morale* perpetuo ante oculos versati sumus.

Idcirco singuli fere capituli summam excipiunt notae, quas dicimus *dogmaticas* et *morales*, in quibus aliàs strictim, copiosius aliàs indicamus quae pro confirmandis dogmatibus, et instaurandis in Ecclesia moribus ex praemisso textu Apostolico depromi valeant.

<sup>1)</sup> *Statut. Sem.* n. 5.

<sup>2)</sup> *Ibid.* n. 54.-56.

Huc etiam faciunt SS. Patrum loci haud pauci notis inserti; quippe qui et concionatoribus utiles esse possunt. Longiores hi nonnumquam non nemini, nec sine ratione videri possunt; sed reputetur quaeso, Patrum opera non cuivis praesto esse, et quibus praesto sunt, eis saepe otium et tempus deficere perquirendi locos laudatos.

Ut cumque hac de re, et de toto est opusculo, unum id spectabam, ut dioecesis nostrae futuris, praesentibusque junioribus Ecclesiarum ministris, dilectissimis in Christo fratribus, pro virili parte aliquod subsidium afferrem, quo illi quidem deinceps epistolas Apostolicas sin omnes prorsus, certe longe plures expositas audire; hi vero, nominatim qui catholicas non audierint, facilius per seipsos, adhibito brevi commentario, eas intelligere queant. -

Demum cum venerabili Beda <sup>1)</sup> „Omnes ad quos haec „potuerint pervenire, legentes sive audientes, suppliciter „deprecor, ut pro meis infirmitatibus mentis et corporis „apud supernam clementiam saepius intervenire meminerint: „ut qui ea, quae memoratu digna atque grata credideram, „diligenter annotare curavi, apud omnes fructum pie in- „tercessionis inveniam.”

LAUDETUR JESUS CHRISTUS! IN SAECULA. AMEN.

HAAREN, fer. III. majoris Hebdomadae, 1879.

<sup>1)</sup> *Praef. in exposit. B. Pauli ex opusculis s. Augustini collectam.*

## IN. SEPTEM EPISTOLAS CATHOLICAS PROLEGOMENA GENERALIA.



1<sup>um</sup>. *Sensus et ratio nominis.*

Sensus quo, et specialis ratio ob quam epistolae sequentes *Catholicæ* appellatae sint, certo definiri nequit. Inter ceteras ea opinio communior est, ac probabilior videtur, quae eo sensu et ideo eas ita dictas reputat, quod generatim ad omnes Christifideles quasi per omnes mundi partes dispersos directae sunt. Το καθολικόν enim universitatem istam apte significat, et — teste Serario — Theodoretus, Oecumenius, alii denominationem καθολικὴν cum voce ἔγκλιτος, i. e. *circularis*, orbicularis, universalis prorsus convenire statuunt, hincque epistolae *catholicas* appellant *circulares* vel *orbiculares*. Demum ista inscriptione ab epistolis Paulinis recte distinguuntur; haec enim tantum ad singulares Ecclesias vel personas destinatae fuerunt.

Ad difficultatem quae contra datam expositionem moveri solet ex 2<sup>a</sup>. et 3<sup>a</sup>. Joannis, ceu quae pariter ad singularem personam vel Ecclesiam <sup>1)</sup> datae sunt, responderi potest:

a). Ratio nominis petita fuit a majore numero.

b). Duae istae epistolae tametsi ad particularem missae sint, tamen catholicis adnumeratae sunt quia semper cum 1<sup>a</sup>. vere catholica ejusdem Joannis epistola conjunctae fuerint, ideo vel magis quod alteri classi minus apte quadrent, atque perbreves sint. <sup>2)</sup>

*Scholion.* Difficilius est sensum statuere, et rationem reddere specialem alterius denominationis, qua epistolae illae inde a saec. VI. a nonnullis, puta a Junilio Episcopo Africano, Cassiodoro, aliisque deinceps <sup>3)</sup>, *Canonicae* appellatae fuerunt. Si enim ita dictae adstruantur eo sensu et ideo quod ab omnibus Catholicis ut divi-

<sup>1)</sup> De qua re infra suo loco.

<sup>2)</sup> Cfr. Serarius, *Comment. in ep. cath. Prolegom. I.*, Ubaldi, T. I. p. 148., Liagre, Steenkiste, alii.

<sup>3)</sup> Cfr. Drach n. 1. nota 1.

nae receptae, et in canonem ss. Librorum relatae sint, minus apte id dici videtur nominatim comparate ad epistolas s. Pauli, quippe quae, si unam epist. ad *Hebr.* excipias, omnes sunt proto-canonicae, cum tamen ex septem hisce epistolis tantum duae tales sint, nempe I<sup>a</sup>. *Petri* et I<sup>a</sup>. *Joannis*, ceterae vero quinque ad deutero-canonicas pertineant.

Nihilominus non sine ratione sustineri potest, ideo vel maxime eas a saec. VI. veluti *autonomastice* canonicas appellari coepisse,

a). Quod postquam de canonicitate majoris earumdem numeri a saec. III-V. apud particulares quasdam Ecclesias dubium extiterat, dein et ipsae omnes communiter ab omnibus Catholicis ut canonicae fuerunt receptae, haud secus ac tredecim Epistolae Paulinae proto-canonicae. <sup>1)</sup>

b). Quod haec epistolae magis quam Paulinae continent canones seu regulas instituendae vitae christianae. (Estius).

Probabiles haec conjecturae sufficiant. Cum enim haec denominatio privatorum sit, non est cur pluribus vindicetur.

2<sup>um</sup>. Generalis earumdem *character*, et *scopus*, et convenientia cum doctrina s. Pauli quod spectat ad necessitatem operum fidei ut salus obtineatur, indicatur in *Responsis ad Quaest. Conf. Dioec. Busc. prop.* p. 447.

<sup>1)</sup> Cfr. Ubaldi *l. c.*

## PROLEGOMENA SPECIALIA

IN

## epistolam beati Jacobi.

*Prin.* I. Auctor hujus epistolae procul dubio est Jacobus filius Alphæi <sup>1)</sup>, seu, Cleophae <sup>2)</sup>, alias Jacobus minor <sup>3)</sup>, frater, i. e., cognatus Domini dictus <sup>4)</sup>, apostolus et episcopus Hierosolymorum, qui anno 63. vel 65. martyr obiit. <sup>5)</sup>

II. Canonicitas.

Est deuterocanonica; quandoquidem ab exeunte saeculo III<sup>o</sup> de genuinitate, et hinc de ejusdem canonicitate in Ecclesiis quibusdam particularibus exorta est controversia. Inde vero a saec. IV<sup>o</sup>. in omnibus Ecclesiasticis canonibus inter libros sacros recensetur; quare jam saec. V<sup>o</sup>. praedicta nonnullorum dubitatio universali consensio cessit, atque abolevit; nec amplius de hac re dubium motum fuit usque ad saec. XVI<sup>um</sup>., quo Erasmus et Cajetanus illud renovarunt, ac Lutherus epistolam hanc comparate ad evangelium et 1<sup>am</sup>. epistolam S. Joannis, nec non ad epistolas Pauli *vere stramineam* compellavit, rejecitque „quia nihil in se evangelicae proprietatis habet.” Adversus haereticum istum Synodus Trid. eam canonicam esse definivit. <sup>6)</sup>

III. Occasio, scopus et argumentum.

Occasionem seu causam, quatenus ex ipsa epistola merito con-jicitur, tria dederunt.

a). Persecutiones et tribulationes quibus recens conversi Judaei erant obnoxii; unde ab epistolae initio illos hortatur ut patienti quinimo laeto animo tentationes varias perferant.

b). Error Simonis magi, Ebion, Menandri etc. contententium, ad salutem obtinendam sufficere fidem solam. Hunc errorem refellere primarius scopus, et argumentum praecipuum est hujus epistolae.

<sup>1)</sup> *Matth.* X. 3.

<sup>2)</sup> *Joan.* XIX. 25. et cir. cl. Steenkiste, *Introd.* in h. epist. §. 2.

<sup>3)</sup> *Marc.* XV. 40.

<sup>4)</sup> *Matth.* XIII. 55.; *Marc.* VI.; *ad Galat.* I. 19. et *Trid.* sess. XIV. *De extrema unct.* cap. I.

<sup>5)</sup> Cfr. *Comp. H. E.* Epoch. I. n. 37.

<sup>6)</sup> Cfr. Serarius *l. c.*, Proleg. II., Drach. n. 1., Liagre, *Interpretatio Epist. Cath. s. Jacobi.*



Ipsam namque modo directe impugnat c. I. II., modo indirecte per totam sc. epistolam tradendo et urgendo varia morum praecepta.

c). Abusus inter fideles grassantes, quos corrigere intendit, puta acceptio personarum c. II.; pruritus magisterii, vitia linguae c. III.; contentiones et lites, vitia divitum etc. c. IV. V. <sup>1)</sup>

IV. *Lingua, stylus, locus et tempus.*

Ex communiore sententia graece scripta fuit.

Stylus quam maxime concisus est et vividus, imo saepius poëticus; hinc vehementiori affectu abreptus nonnumquam absque ulla apparenti transitione ab una materia ad aliam pergit.

Verisimilius Jerosolymis scripta est idque probabilius intra illud temporis spatium quod excurrit a data ad Romanos epistola (adeoque ab anno circiter 58<sup>o</sup>.) ad martyrium Jacobi circa annum 63. vel 65. <sup>2)</sup>

## CAPUT I.

Post epistolae exordium, quod continet auctoris dignitatem; eos ad quos scribit Judaeo-Christianos ubicumque terrarum dispersos, et salutis appreciationem ŷ. 1., statim eosdem

I. Adhortatur ad tentationes probationis, seu tribulationes quascumque laeto animo perferendas ŷ. 2. proponendo:

1<sup>o</sup>. Fructus inde oriundos, qui sunt quod probatio fidei patientiam operatur ŷ. 3.; patientia autem opus perfectum habet ŷ. 4. (Cfr. ŷ. 12.)

2<sup>o</sup>. Medium, quo obtineri potest sapientia, qua intelligamus utilitatem istiusmodi tentationum revera tantam esse, ut eas tamquam materiam pleni gaudii habeamus. Id autem medium est precatio ad Deum, liberalitati divinae commensurata ŷ. 5., fide perseveranti comitata ŷ. 6.; a defectibus contrariis purgata ŷ. 7.-8.

3<sup>o</sup>. Speciatim materiam de qua gaudeat, imo gloriatur Christianus tum pauper ŷ. 9. tum dives ŷ. 10.-11. Exhortationem

<sup>1)</sup> Liagre, §. IV.

<sup>2)</sup> Cfr. Drach.

praecedentem claudit exhibendo patientiae praemium, *coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se*  $\text{v. 12.}$

II. A tentationibus probationis transiens ad tentationes seductionis, imprimis  $\text{v. 13.-16.}$  praecavet atque refellit errorem Simonis magi aliorumque, qui Deum quovis modo hujusmodi tentationum, seu, peccati auctorem, sive, causam faciunt, <sup>1)</sup> declarando:

1<sup>o</sup>. Quod uti Deus ad ea, quae mala moralia sunt sollicitari ipse nequit, ita neminem ad haec sollicitat  $\text{v. 13.}$

2<sup>o</sup>. Causam praecipuam istiusmodi tentationum, videlicet, cuique inhaerentem concupiscentiam, quae ad peccatum inclinat, atque hominem eidem non resistentem tamquam per gradus ad peccatum perducit  $\text{v. 14.-16.}$  Vide plura in *Resp.* p. 489.-492.

3<sup>o</sup>. Deum esse auctorem omnis boni  $\text{v. 17.}$ , nominatim regenerationis nostrae  $\text{v. 18.}$  Proindeque non est auctor tentationum seductionis; hae enim ad malum morale incitant atque ad ipsam regenerationis gratiam in homine perimendam praecise tendunt.

III. Ex memorata  $\text{v. 18.}$  regeneratione occasionem sumit proponendi varias exhortationes ad vitam ita ut regeneratos decet instituendam.

Hortatur:

1<sup>o</sup>. Vel generatim, ut sit omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram, quia ira viri, justitiam Dei non operatur  $\text{v. 19. 20.}$  <sup>2)</sup>; vel speciatim, ut sit omnis homo velox ad audiendum verbum veritatis, quo nos genuit Deus; tardus autem ad illud ipsum verbum magistratiter loquendum et tardus ad iram, quae ex pruritu magisterii facile consequitur. <sup>3)</sup>

2<sup>o</sup>. Ideo quod verbo veritatis regenerati estis (a Lapide), abjecta omni immunditia et malitia in mansuetudine suscipite

<sup>1)</sup> Cfr. Dens, *Tract. de pecc.* n. 129.

<sup>2)</sup> Cfr. v. g. Serarius, Drach.

<sup>3)</sup> Ita plures, puta Salmeron, Estius, Beelen, Liagre, Steenkiste.

per praedicationem *vobis insitum verbum fidei quod potest salvare animas vestras* v. 21. Si nempe illud etiam ad praxin reducit. Gravis enim error est putare, solam susceptionem verbi divini sufficere ad salutem obtinendam v. 22. Hunc errorem hinc refutat:

a). *Comparatione* ducta a viro, qui ex obiter considerato vultu suo in speculo v. 23., ob dissipationem et oblivionem nullam utilitatem refert: *consideravit enim se, inquit, et abiit (ad alia), et statim oblitus est qualis fuerit* v. 24. Sicut enim talis nec maculas eluere, nec incomposita componere curat: ita, qui *auditor est verbi et non factor*, ex auditione nihil proficit ad salutem.

b). *A contrario*; opponendo nempe verbi auditori oblivioso aut perfunctorio eum, qui legem Christi sedulo introspectit, meditatur atque ad praxin perducit, huncque ob opera beatorum pronuntiando v. 25.

c). *Ex casibus particularibus*; sic v. g. vana est religio ejus, qui non refrenat linguam suam puta a detractionibus etc. v. 26.; sincera autem et pura coram Deo ejus est religio, qui exercet opera charitatis, puta erga pupillos et viduas, et semetipsum a contagione mundi immaculatum custodit v. 27.

*Nota pro doctrina dogmatica.*

a). v. 12. ad firmandam doctrinam catholicam de merito bonorum operum. <sup>1)</sup>

b). v. 13. 16.-18. Deum non esse auctorem peccati. <sup>2)</sup>

c). v. 14. 15. manere in baptizatis concupiscentiam. <sup>3)</sup>

d). Ex natura rei, seu, ex firma regula omnibus aequali, dari distinctionem peccati in veniale et mortale. <sup>4)</sup>

e). v. 17. Deum esse absolute immutabilem. <sup>5)</sup>

2<sup>o</sup>. *Pro morali.*

a). v. 2. 4. 12.-15. quoad tentationes.

<sup>1)</sup> Cfr. Dens, *Tract. de merito* n. 35.

<sup>2)</sup> *Tract. de peccatis* n. 129.

<sup>3)</sup> Trid. sess. V. *De pecc. orig.* n. 5.

<sup>4)</sup> *Tract. de peccatis.* n. 154.

<sup>5)</sup> Cfr. Liagre.

- b). *ŷ.* 6.-7. quoad modum orandi Deum.  
 c). *ŷ.* 9.-11. *motiva* solatii pauperibus sunt eorumdem qua Christianorum exaltatio, et instabilitas divitiarum. Cf. Cap. II. *ŷ.* 5. V. *ŷ.* 7.  
 d). *ŷ.* 19. 21.-25. dispositiones salutifere audiendi verbum Dei.  
 e). Ex *ŷ.* 26. refrenationem linguae devotionem profitentibus, praesertim clericis, saepius cum Apostolo inculca et tibimetipsi commenda.

## CAPUT II.

Pergens in confutatione erroris, *ŷ.* 22. capitis praecedentis enunciati, adversus quem ultimo commendarat opera charitatis *ibid.* *ŷ.* 27., hìc:

I. Redarguit vitium charitati maxime contrarium *acceptiorem personarum*. Quid autem haec sit, et quid non sit in *Resp.* pag. 492. declaratur ex ipsis verbis Apostoli, adductis exemplo, quo *ŷ.* 2.-4. exponit quam intelligat acceptiorem personarum, et rationibus, ob quas ea reprobanda est *ŷ.* 1. 5.-7.; nec non distinctione inter observantiam, quae ex lege charitatis atque eam, quae ex acceptiorem personarum diviti prae paupere exhibetur. Illam laudat *ŷ.* 8., hanc denuo carpit tamquam legis charitatis transgressionem *ŷ.* 9. non parvi faciendam veluti quid leve sit contra unum praeceptum delinquere; nam qui vel unam legem nominatim charitatis violat, in totam legem ipsumque legislatorem offendit *ŷ.* 10.-11. Itaque memores iudicii, secundum legem charitatis *ŷ.* 12. praestare opera misericordiae quibus iudicium propitium homo sibi comparare potest *ŷ.* 13.

II. Argumenta quinque quibus a *ŷ.* 14.-26. data opera probat fidem sine operibus fidei adultis non prodesse ad salutem obtinendam, exponuntur in *Responsis* p. 448.

*Nota.* Pro doctrina 1<sup>o</sup>. *dogmatica*.

a). Ex legitimo sensu *ŷ.* 10. et 11. manifestum est, S. Jacobum nequaquam docere, uti olim contenderunt Stoici et post eos Nova-

tiani, peccata adeo esse connexa, ut non possit unum admitti quin eo ipso cetera omnia simul admittantur; — aut omnia peccata esse aequalia et pari supplicio punienda, uti, ad hunc locum, frustra novatores saeculi XVI. adstruere conati sunt, inficientes discrimen essentielle inter peccatum mortale et veniale. <sup>1)</sup>

b). *ŷ.* 21.-25. S. Jacobus palmare Protestantium principium de sola fide justificante aperte damnat. Neque contrarius est doctrinae sancti Pauli ad *Rom.* III. 28.; IV. 2.; ad *Galat.* II. 16. Nam S. Paulus locis objectis tantum docet hominem non justificari per opera quae fidem praecedunt, puta per opera legis Mosaicae ut talia, aut legis naturalis; minime autem docet opera fidei non requiri in justificato; sed una cum B. Jacobo horum necessitatem adstruit v. g. ad *Galat.* V. 6.

2<sup>o</sup>. *Pro morali.*

a). Ex *ŷ.* 1.-13. summopere cavenda acceptio personarum. Ceteris paribus, pauperes plus honoremus quam divites; id suadet ipsius Dei exemplum *ŷ.* 5. *Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*

b). Ex *ŷ.* 12. admonemur omnes actiones nostras instituere ad normam Evangelii, memores quod judicandi sumus non secundum principia mundi sed evangelii.

c). Ex *ŷ.* 13. docemur *medium* nobis conciliandi iudicium propitium: misericordiam proximo exhibitam.

### CAPUT III.

Impugnat pruritum magisterii

I. Ob reddendam Deo graviorem de hujusmodi officio rationem *ŷ.* 1.

II. Ob praesens periculum delinquendi in hoc officio per linguam *ŷ.* 2. Hoc periculum exponit:

1<sup>o</sup>. Per maximam linguae vim comparatam

a). Cum freno equum cogente *ŷ.* 3.

b). Cum gubernaculo navem regente *ŷ.* 4.

<sup>1)</sup> Cf. *De pecc.* n. 103. 104. 154.

c). Cum scintilla ignis silvam incendente  $\text{v}^{\circ}$ . 5.

2<sup>o</sup>. Per difficultatem domandi linguam

a). Ob pronitatem ad omne malum  $\text{v}^{\circ}$ . 6.

b). Ob ferociam prae bestiis majorem  $\text{v}^{\circ}$ . 7.

c). Ob indolem lubricam et malignam  $\text{v}^{\circ}$ . 8.

3<sup>o</sup>. Per promiscuum linguae ad bona et mala usum, manifestatum per quotidianam benedictionis et maledictionis experientiam  $\text{v}^{\circ}$ . 9.-10.; illustratum a monstruosis comparationibus, nempe fontis utique non fundentis aquas dulces et amaras; — germinis non ferentis fructus discreprantes  $\text{v}^{\circ}$ . 11.-12.

III. Ob vanam multorum de acquisita sapientia praesumptionem; quia:

1<sup>o</sup>. Vita multorum caret operibus bonis sapientiae congruis, et modestia  $\text{v}^{\circ}$ . 13., abundat autem zelo amaro et contentionibus  $\text{v}^{\circ}$ . 14.

2<sup>o</sup>. Quia sapientia falsa quidem, h. e., terrena, animalis et diabolica zelum ejusmodi et contentionem et omne opus pravum producit et exerit  $\text{v}^{\circ}$ . 15.-16.; — vera autem sapientia, h. e., coelestis virtutibus et fructibus bonis abundat  $\text{v}^{\circ}$ . 17.-18.

*Nota.* 1<sup>o</sup>. Pro doctrina *dogmatica*: IN MULTIS offendimus omnes  $\text{v}^{\circ}$ . 2. quod est:

a). Contra Pelagianos, qui contenderunt, hominem propriis liberi arbitrii viribus ad eam posse pervenire justitiae perfectionem, ut absque ullo prorsus peccato vivat. Contra hos certum est quod in statu naturae lapsae homo, etiam justus, ne per ordinaria quidem gratiae auxilia possit vitare omnia peccata venialia collective sumpta et notabili tempore. <sup>1)</sup>

b). Contra novatores seculi XVI. qui docuerunt, *omne* opus, etiam justis, esse peccatum mortale et damnabile, si iudicio Dei judicetur. Quod refellitur ex ipsis s. Jacobi verbis. Non enim dicit: in *omnibus*, sed in *multis*. Quod autem non voluerit signifi-

<sup>1)</sup> cfr. Dens, *Tract. de gratia* n. 11., et  $\text{v}^{\circ}$ . 8.; Trid. sess. VI. de justificatione can. XXIII.

care, omnes in multis *mortaliter* offendere manifestissimum est ex cap. I. ¶. 15. c. V. ¶. 16. <sup>1)</sup>

2<sup>o</sup>. *Morali*.

a). Periculosum est munus alios docendi. Qui impellente ambitione, aut non debitis instructi dotibus id suscipiunt, majus iudicium sumunt ¶. 1.

b). Qua ratione lingua ignis est, universitas iniquitatis ¶. 6. expositum vide in *Responsis* p. 495.

c). *Ibid.* documenta quatuor quae fluunt ex ¶. 7. et 8.

d). ¶. 9.-12. contra maledicos et detractores. Ad hos referri potest etiam ¶. 14. Saepe enim contingit, ut per speciem pietatis, adversus proximos quidam vehementius commoveantur, et rei similitudine decepti, se honesto et laudabili zelo incitari gloriantur, cum tamen revera aut invidia cujus mater superbia, contabescant aut malevolentia et odio inflammentur, sicque sibi ipsis, contradicente plerumque conscientia, mentiantur. Unde vulnus digito tangit Steyaert <sup>2)</sup> dicens: „Ratio, cur ultimus bonorum laqueus soleat esse detractio, haec videtur: quia superbia zelo tecta, hujus vitii mater, ultima in illis facile manet.”

e). Theoriis hodiernis rationalisticis, liberalisticis et quae hujusmodi sunt aliis congruit quod dicitur ¶. 14.-16; ab iis autem procul absunt verae sapientiae characteres ¶. 17. recensiti.

## CAPUT IV.

Agit

I. Contra concupiscentiam, proponendo

1<sup>o</sup>. Ipsam concupiscentiam

a). tanquam originem et incitamentum bellorum et litium ¶. 1.-2.

b). tanquam rationem ob quam ad Deum precibus non recurritur ¶. 2., vel non debito fine recurritur; ideoque haec a Deo non exaudiuntur ¶. 3.

c). tanquam obstaculum amicitiae divinae ¶. 4.-5.

<sup>1)</sup> cfr. Liagre, ad *h. l.*

<sup>2)</sup> *Aphorism. Part. 3. disp. 30.*

2<sup>o</sup>. Remedium ad eam superandam efficax, sc. gratiam, quam Deus, superbis resistens, humilibus dat *¶*. 6.

Unde infert:

a). Ergo subditi estote Deo ejusque mandatis; resistite autem diabolo, suggestionibus suis fomitem concupiscentiae excitanti *¶*. 7.

b). Per poenitentiam reformate et actiones et affectus cordis *¶*. 8.-9.

c). *Humiliamini in conspectu Domini et exaltabit vos ¶*. 10.

Agit

II. Contra detractionem et judicium temerarium proximi, quorum malitiam et turpitudinem ostendit:

1<sup>o</sup>. Ex injuria, quam horum reus infert ipsi legi *¶*. 11. et supremo legislatori ac judici *¶*. 12.

2<sup>o</sup>. Ex vilitate personae sibi judicium arrogantis. Quid enim homo incertus eventuum vel in crastino futurorum, imo ipsius vitae suae? *¶*. 13.-15.

Igitur maligne agitis, et utpote satis instructi peccatis, indulgendo descriptae sive concupiscentiae, sive jactationi, sive detractioni proximi *¶*. 16.-17.

*Nota* 1<sup>o</sup>. Christianae humilitatis:

a). *Motiva ¶*. 6. et 10.

b). *Officia ¶*. 7.-9.

2<sup>o</sup>. *¶*. 13.-15. admonemur brevitatis vitae, ac in omnibus consiliis et actionibus nostris disponendis divinae providentiae ac moralitatis nostrae esse memores.

## CAPUT V.

I. Intemperantibus divitiarum amatoribus denunciat miseras, quae iis certe in altera vita advenient *¶*. 1.

Hi enim pauperum obliti:

a). Utensilia situ corrumpi et pecuniam eruginare sinunt, ideoque mala in novissimis diebus sibi colligunt *¶*. 2.-3.;



b). Ob fraudatam operariorum mercedem vindictam divinam provocant v. 4.

c). Ob vitam effusam in luxum et luxuriam mortem accersunt v. 5.

d). Ob appetitum insatiabilem rapinas homicidiis innocentum cumulant v. 6.

II. Documenta dat pro diversis vitae conditionibus :

1<sup>o</sup>. In oppressionibus aliisque adversitatibus exercenda est patientia, et abstinendum a querelis adversus proximum v. 7.

7. 9. Patientiae motiva suggerit :

a). Ab intuitu agricolae perdurantis v. 7.

b). Ab expectatione judicis appropinquantis v. 8., imo imminentis v. 9.

c). Ab exemplo prophetarum nominatim Job, quos

d). Ipsi nos beatificamus, atque

e). Dominus misericors a calamitatibus hujus vitae liberavit et aeternum beavit v. 10.-11.

2<sup>o</sup>. In humano commercio utendum sermone simplici non jurato v. 12.

3<sup>o</sup>. In tristitia orandum : in laetitia psallendum v. 13.

4<sup>o</sup>. In aegritudine gravi suscipiendum sacramentum extremae unctionis v. 14.-15.

5<sup>o</sup>. In vita communi :

a). *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.* Oratio enim justi efficacissima ut patet exemplo Eliae v. 16.-18.

b). Fratris lapsi conversioni allaborate; id enim opus maxime utile converso aequae ac convertenti v. 19. 20.

*J. Jacobs 1890-11-11-9*  
Nota. 1<sup>o</sup>. v. 12. proscribitur abusus, non autem usus juramenti suis comitibus stipati. <sup>1)</sup>

2<sup>o</sup>. Quanam v. 14. et 15. s. Jacobus doceat circa Extremam Uctionem vide in *Resp.* p. 461.

<sup>1)</sup> cfr. Dens, *Tract. de relig.* n. 140.

3<sup>o</sup>. An et quare 1<sup>a</sup>. pars  $\text{v}^{\text{f}}$ . 16. praebeat argumentum scripturicum ad probandum Sacramentum Confessionis *ibid.* a p. 473.

4<sup>o</sup>. In alteram partem  $\text{v}^{\text{f}}$ . 16. et in  $\text{v}^{\text{f}}$ . 17., imo quanam in tota epistola doceat circa orationem *ibid.* p. 456.

5<sup>o</sup>. Quanam  $\text{v}^{\text{f}}$ . 19. 20. suggerant *motiva* ad gnauiter allaborandum conversioni peccatorum *ibid.* p. 476.

## Epistola B. Petri Apostoli

### prima.

I. Est *proto-canonica*.

II. Scripta, ut videtur, et ad Judaeo- et ad ethnico- <sup>1)</sup> christianos, advenas dispersos per provincias cap. I.  $\text{v}^{\text{f}}$ . 1. enumeratas; <sup>2)</sup>

III. Occasione persecutionum, quibus illi obnoxii erant ex parte Gentilium, quorum depravatos mores verbo et exemplo redarguebant, et eo

IV. Scopo, ut eosdem fideles per spem vivam coelestis beatitudinis consoletur, et in fide ac bonis moribus confirmet. <sup>3)</sup>

V. Argumentum igitur epistolae generale est *paraeneticum*, i. e., exhortatorium <sup>4)</sup>, sed perpetuo innixum praecipuis Christianae religionis mysteriis, utputa, incarnatione, passione et resurrectione Christi, ex quibus suas exhortationes Apostolus depromit et confirmat. Patet ex

VI. *Epistolae summa*. Exposita primum doctrina, quam Prophetae V. T. praenunciaverant de Verbi divini incarnatione, passione, redemptione, de vocatione Judaeorum et Gentium ad Christi gratiam, B. Petrus fideles adhortatur, ut hanc doctrinam ab Apostolis clarius praedicatam constantissime teneant, et ad eam tuendam ardua quaeque libenter tolerare parati sint animati exemplo Christi, qui pro nostra salute mortem subiit. Simul autem monet, ut, quoniam sanguine Christi redempti fuerunt *de vana conversatione paternae traditionis* tamquam *peregrini* ab omnibus *carnalibus* et *ter-*

<sup>1)</sup> Cfr. I. 14.; II. 10.; IV. 3.

<sup>2)</sup> Cfr. Drach § II.

<sup>3)</sup> Ubaldi, Tom. I. p. 115.

<sup>4)</sup> Serarius, Prolegomenum III.

*renis abstineant*, principibus pareant, et sancte inter Gentes vivant, ut decet *genus electum*, *regale sacerdotium* et *populum acquisitionis* (cap. I. II.) — Dein speciatim de mutuis conjugum officiis loquitur, et ad varias virtutes exercendas provocat, imprimis autem ad mutuam charitatem et concordiam, et ad hilarem passionum tolerantiam amore Christi. (c. III. IV.) — Tandem sacerdotes instruit quomodo *gregem* sibi commissum *pascere* debeant *forma facti gregis ex animo*; omnes autem praesertim adolescentes ut subjectioni ac animi demissioni studeant, et divinae Providentiae seipsos committant. (cap. V.) <sup>1)</sup>

VII. Locus. Romae scriptam esse, adeoque c. V.  $\text{v}^{\circ}$ . 13. per *Babylonem* metaphorice designari *Romam* suadetur

a). ex eo quod ista metaphora Judaeis per id temporis usitata erat, et occurrit etiam in *Apoc.* (XVI. 19.; XVII. 19.; XVII. 5.; XVIII. 2.)

b). Auctoritate Patrum, Papiae, Clementis Alex., Hieronymi, Chrysostomi, aliorumque, quibus plerique optimae notae recentiores Interpretes adstipulantur.

c). Ex plurium codicum subscriptionibus. <sup>2)</sup>

VIII. Ad tempus quod attinet, vulgo creditur scripta circa an. 63. aut 64. <sup>3)</sup>

IX. Lingua originali graeca <sup>4)</sup>; stylo gravi, sublimi, et simul affectuoso ac suavi, sed ob hebraismos obscuro. <sup>5)</sup>

## CAPUT I.

In prooemio Petrus Apostolus precatus gratiam et pacem perpetuo majorem electis ad fidem et gratiam Evangelicam advenis dispersis per provincias  $\text{v}^{\circ}$ . 1. 2.,

I. benedicit Deum patrem ob collatum nobis in Baptismate beneficium regenerationis, quod quatuor rationibus commendat.

1<sup>o</sup>. Quod concessum est secundum magnam Dei misericordiam, et per merita Christi  $\text{v}^{\circ}$ . 3.

<sup>1)</sup> Ubaldi *l. c.*

<sup>2)</sup> Drach §. III. n. 2.; Ubaldi *l. c.*; Wouters, *H. E.* ep. I. n. 25.

<sup>3)</sup> Drach *l. c.* n. 3.

<sup>4)</sup> Drach, *ibid.* n. 1.

<sup>5)</sup> Drach §. VI. n. 1.

2°. Quod infert spem vivam vitae aeternum beatae *ibid.*, seu, hereditatis praeclarissimae, quae in coelis conservatur vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem, et in tempore novissimo revelabitur *ŷ.* 4. 5.

3°. Quod gaudium imo exultationem praebet vel in ipsis tribulationibus hujus vitae, quae causa probationis fidei immittuntur, atque ex fide et amore Christi toleratae perducunt ad gloriam et laetitiam inenarrabilem, ad salutem animarum *ŷ.* 6.-9.

4°. Quod fuit praecipuum objectum inquisitionis Prophetarum V. T. Hi quippe imprimis scrutati sunt *in quod vel quale tempus* eveniret beneficium Redemptionis, quod Spiritus S. eis interne revelabat, et Christus perficeret; quapropter Spiritus S. praenunciabat ipsis tum Christi *passiones*, tum *posteriores glorias*. Jam vero revelatum est iis quod non sui temporis aequalibus illud beneficium praedicebant, sed vobis, quibus nunc Spiritu Sancto repleti Apostoli idipsum clare evangelizaverunt *ŷ.* 10.-12.

II. Ex beneficio Redemptionis sic commendato, et ipsis colato, infert et urget obligationes Christianis proprias, quae sunt:

1°. generatim vitalis sanctitas, quae consistit in mortificatione pravorum affectuum et desideriorum, et morum ad Christi vitam conformatione *ŷ.* 13.-15. Motiva:

a). Quia Deus, qui vocavit vos, sanctus est *ŷ.* 15. 16.

b). Quia Deus quidem pater vester est, sed simul iudex incorruptibilis et justissimus, proindeque in timore filiali hęc conversari debetis *ŷ.* 17.

c). Quia redempti estis pretioso sanguine Christi, qui ab aeterno ad opus redemptionis perficiendum ordinatus, nunc ut redemptor manifestatus est propter vos fideles, atque a Deo a mortuis resuscitatus et glorificatus est, ut ita etiam vestra fides et spes firma esset in Deum *ŷ.* 18.-21.

2°. Speciatim charitas fraterna, eaque sincera et constans. Ut hujusmodi charitate sese invicem diligant motivo urget,

quod omnes ad vitam supernaturalem ceu fratres spirituales renati sunt ex Dei verbo et Christi Evangelio immutabili et manente in aeternum  $\text{v}^{\circ}$ . 23. 25.; dum cetera omnia praetereunt; unde et charitas vestra non carnali cuidam affectui innitatur, ut vere immunis sit a carnis mutabilitate  $\text{v}^{\circ}$ . 24., atque purgata ab affectibus et vitiis charitati contrariis cap. II.  $\text{v}^{\circ}$ . 1.

*Nota pro doctrina 1<sup>o</sup>. dogmatica:*

a).  $\text{v}^{\circ}$ . 2. innuitur SS. Trinitas; Deus *Pater* praesciens, *Spiritus* sanctificans, *Filius*, Jesus Christus, sanguine aspergens.

b). Spiritus Sanctus a Filio quoque procedit. Praedicatur enim *Spiritus Christi*.  $\text{v}^{\circ}$ . 11.

2<sup>o</sup>. *Morali*. Caput hoc aptam materiam suggerit concioni, cujus propositio sit: Excellentia beneficii nobis in Baptismate collati. Applicatio practica: officia inde fluentia, quae particulatim in decursu epistolae exponuntur.

Ceterum a). fides et spes viva coelestis beatitudinis solatium imo et exultationem affert in variis tentationibus hujus vitae  $\text{v}^{\circ}$ . 3.-9.

b). Quanto felicior est sors nostra praec antiquis V. T. prophetis!  $\text{v}^{\circ}$ . 10.-12.

## CAPUT II.

Ex beneficio regenerationis Christianis collato 1) pergit hortari generatim,

1<sup>o</sup>. Ut, *sicut modo geniti infantes* lac matris concupiscunt et per illud nutriti crescunt corporaliter, sic et ipsi concupiscant doctrinam Christi rationabilem et puram ceu cibum animae, quo nutriti spiritualiter crescant et perveniant ad salutem  $\text{v}^{\circ}$ . 2. 3.

2<sup>o</sup>. Ut magis semper et propius accedant ad Christum Dominum, Eique conjungantur. *Motiva:*

a). Ipse enim est lapis vivus, ab hominibus iniquis quidem reprobatus, a Deo autem electus et honorificatus  $\text{v}^{\circ}$ . 4.

b). Hac lege *et ipsi tamquam lapides vivi superaedificabimini*

1) Cfr. cap. I. 3. et 23.-25.

ceu *domus spiritualis* et *sacerdotes sancti*, qui offerant *spirituales hostias*, *acceptabiles Deo per J. C.* ¶. 5. Quod utrumque Scriptura confirmat, dicens: *Ecce pono* etc. ¶. 6.

c). *Vobis igitur credentibus* in Christum ut fructus fidei obvenit generatim *honor* ¶. 7.; *speciatim vos genus electum*, . . . *populus Dei*, *nunc misericordiam consecuti* ¶. 9. 10.

d). *Contra non credentibus* Christus *factus est in caput anguli*, *et lapis offensionis*, *et petra scandali*. Verbo: *incredulis* sua ipsorum culpa occasio est *ruinae aeternae* ¶. 7. 8.

3°. Ut tamquam advenae et peregrini in his terris abstineant se a mundanis et carnalibus desideriis ¶. 11.

4°. Ut per bonam conversationem exemplo sint Gentibus, ne hi habeant quod de iis detractent, sed ex bonis vestris operibus glorificent Deum ¶. 12.

A generalibus ad *officia specialia* concludens, imprimis ea tangit quæ propria sunt *usui politico*. Nempe

1°. *Subditi erga magistratus*, tum supremos cum inferiores, praestent subjectionem religiosam propter Deum; *quia sic est voluntas Dei*, utque sic *obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam*. In magistratibus igitur Deum ipsum agnoscentes, ut vere *liberi*, non hominibus ut talibus, sed ut Dei representatoribus subjecti sint, neque obtendant pro rebellionem libertatem evangelicam aut pristinam hodiernamque libertinitatem, *sed sicut servi Dei* suis superioribus subjiciantur. *Omnes*, inquit, *honorate: proximum diligite: Deum timete: Regem honorificate* ¶. 13.-17.

2°. *Servi exhibeant subjectionem* et reverentiam dominis etiam dyscolis, seu, asperis et cum excessu rigidis ¶. 18.  
*Motivum* quadruplex:

a). *Gratia et gloria*, sive, *meritum patientiae*, ex *duritia immerita* augendum apud Deum ¶. 19. 20.

b). *Quia in hoc vocati sumus* ¶. 21.

c). Ob exemplum Christi innocentis, patienter sustinentis, et pro nobis satisfacientis. ¶. 21.-24.

d). Ob *gratitudinem* Christo Salvatori, ad quem nunc conversi sunt, debitam  $\text{v.}$  25.

Nota 1°. Inepte Protestantes  $\text{v.}$  5. et 9. objecerunt adversus N. L. sacrificium et sacerdotium proprie dictum, et s. Hierarchiam. <sup>1)</sup>

2°. Religio Catholica omnes relationes sanctificat, et unicum fundamentum solidum est ipsius ordinis civilis, et domestici a  $\text{v.}$  12.-25. et cap. III. a  $\text{v.}$  1.-7. Cfr. praeclaram encyclicam Leonis XIII. 28. Dec. 1878. „Quod Apostolici muneris.” <sup>2)</sup>

3°. Ex  $\text{v.}$  21. et sq. exemplum Christi in injuriis ipsi attendamus et aliis exhibeamus. *Passus est pro nobis, relinquens exemplum.* Ut enim praeclare ait S. Aug. <sup>3)</sup> „Pati te docuit, et *pati*endo te docuit. Parum erat verbum, nisi adderetur exemplum.”— Sed illud addidit, *ut sequamini vestigia ejus.* Quare idem S. Doctor <sup>4)</sup> „Jam cum sequeris viam Christi, non tibi saeculi prosperitates, promittas. Per dura ambulavit: sed magna promisit. Sequere. Noli, tantum attendere qua iturus, sed et quo venturus sis. Tolerabis, dura temporalia, sed ad laetitiam pervenies sempiternam. Si, vis sustinere laborem, attende mercedem. Cum autem attenderis, quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia quae pateris, nec digna aestimabis pro quibus illud accipias. Miraberis tantum dari, pro tanto (tam modico et brevi) labore. . . Viam Christi si vis, et vere Christianus es: ipse enim est Christianus, qui non aspernatur viam Christi, sed vult viam Christi sequi per passiones, ipsius. Noli per aliam viam velle ire, quam per illam qua ipse, ivit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via: alia forte delicias habet, sed latronibus plena est.”

### CAPUT III.

#### I. *Officia specialia conjugum.*

1°. *Uxores* subditae sint viris suis etiam incredulis, ut hos

<sup>1)</sup> Vide Dens, *De Sacrif. missae* n. 5. et Perrone, *De ordine* a n. 26., n. 41. 42., et Trid. *sess.* XXIII. can. I., III., VI. et cfr. *sess.* XXII. can. II.

<sup>2)</sup> v. g. penes *Nouv. Rev. Théol.* T. XI. (an. currentis) p. 5.

<sup>3)</sup> *Serm.* 284. n. 6.

<sup>4)</sup> In *Ps.* 36. *Serm.* 2. n. 16.

per castam, sanctamque conversationem lucrifaciant  $\text{v}^{\circ}$ . 1. 2. Hunc in finem iis placere studeant non tam ornatu externo, puta capillatura, auro, et vestimentis, quam interno virtutum, praesertim quiete, seu, mansuetudine et modestia, ad exemplum sanctarum mulierum, nominatim Sarae  $\text{v}^{\circ}$ . 3.-6.

2<sup>o</sup>. Mariti cum uxoribus agant prudenter, honorifice, et congrue ad pietatem.  $\text{v}^{\circ}$ . 7. Rationes hujus exhortationis in ipso textu significantur tres. Prima, mulieris major infirmitas mentis et corporis. Secunda, quod etiam ipsae mulieres gratiae evangelicae, quae vitam confert supernaturalem et aeternam, cohaerentes sunt. Tertia, ne discordia, ex imprudenti etc. agendi ratione facile oritura, impediatur orationes.

## II. *Officia communia omnibus.*

1<sup>o</sup>. Sectentur virtutes  $\text{v}^{\circ}$ . 8. recensitas; non reddant malum pro malo, sed econtrario pro malo bonum. Motiva:

a). Quia in hoc vocati estis, ut hac viâ hereditatem coelestem possideatis  $\text{v}^{\circ}$ . 9., ut probat ex Scriptura  $\text{v}^{\circ}$ . 10.-12.

b). Quod si — secundum dicta — boni aemulatores fueritis non est quod timeatis persecutores, imo si quid patimini propter justitiam, beati  $\text{v}^{\circ}$ . 13. 14.

2<sup>o</sup>. Dominum Christum sanctificent, i. e. sanctum ostendant, colant et unice vereantur. Quomodo?

R. a). Affectu interno: *in cordibus vestris*.

b). Verbo: parati semper ad rationem reddendum *de vestra spe*, fidei vestrae firmiter innixâ  $\text{v}^{\circ}$ . 15. Fidem autem vestram defendatis *cum modestia*, et timore sancto (non cum petulantia aut arrogantia), et *conscientiam habentes bonam*, ut pateat, id ipsum, ob quod detrahunt vobis adversarii, congruere doctrinae Christi, sicque confundantur qui calumniantur vestram bonam conversationem  $\text{v}^{\circ}$ . 16. Itaque

c). Opere: bona, ut dictum est, conversatione in Christo, et speciatim innocenter tolerando injurias. Istiusmodi patientiae motiva sunt:

a). Majus meritum. *Melius est enim beneficientes pati, quam malefacientes*  $\text{v}^{\circ}$ . 17.



b). Memoria exempli, et mysteriorum Christi, horumque fructuum. *Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*, JUSTUS PRO INJUSTIS, *ut nos offeret Deo*, etc. *ŷ. 18.* — Mortuus, secundum animam descendit ad inferos, in limbum, ut animabus patrum, ibi in carcere detentis, laetum nuncium afferret redemptionis, his quoque *qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca*, tandem autem aquis diluvii immergentibus conversi sunt *ŷ. 19.-20.* — Resurrexit, ut in Ecclesia per Baptismum, (cujus typus fuit arca et diluvium) salvemur a peccatis *ŷ. 21.* — Ascendens in coelum sedet *in dextera Dei, ut vitae aeternae heredes efficeremur ŷ. 22.*

*Nota.* 1<sup>o</sup>. In *ŷ. 1-6.* Bonum exemplum mulieris domestica est praedicatio, concionatorum eloquentiâ, et doctorum argumentis plerumque efficacior ad conversionem, et sanctificationem mariti. „Hoc „valet, inquit s. Ambrosius, <sup>1)</sup> mulieris gravitas et pudicitia, et „eius bona conversatio, ut virum suum vocet ad fidem et devotionem.” Ita agebat s. Monica erga Patritium, maritum suum. Rei testis est eorum filius s. Aug., qui Deum affatus, <sup>2)</sup> habet: „Sategit eum lucrari tibi, *loquens te illi moribus suis*, quibus eam „pulchram faciebas, et reverenter amabilem viro.”

2<sup>o</sup>. Speciatim in *ŷ. 3.* de ornatu mulierum cfr. I. ad *Cor.* XI. 15.; I. ad *Tim.* II. 9. et epist. s. Hier. ad *Laetam*, ad *Marcellam*, ad *Celantiam* (quae est 148. n. 27.) — S. Aug. ad *Possid.* ep. 245. (al. 73.) n. 1.

3<sup>o</sup>. In *ŷ. 7.* quadrant bene haec s. Ambrosii <sup>3)</sup> verba: „Tu „vir... Non es dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed „uxorem. Gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non „praepotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam.”

4<sup>o</sup>. In *ŷ. 13.* „Nulla nobis nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas.” (Orat. Ecclesiae.) cfr. *Matth.* X. 28.; ad *Rom.* VIII. 28.

5<sup>o</sup>. *ŷ. 15.* coll. cum *Isaiac* VIII. 13. „Dominum exercituum

<sup>1)</sup> *De Sacrament.* lib. VI. cap. V.

<sup>2)</sup> *Confess.* lib. IX. cap. IX. n. 19.

<sup>3)</sup> *Hexaemeron.* lib. V. cap. VII.

(hebr. Jehova Tsebaoth) sanctificate” argumentum praebet pro divinitate Christi.

6<sup>o</sup>. Secundum ejusdem vers. partem illam : „*parati semper* etc. Parochi dent operam ut omnes et singuli curae suae-commissi noverint *quid* credere debeant propter adipiscendam vitam beatam, et, quoad fieri potest, etiam *quare*. <sup>1)</sup>

7<sup>o</sup>. *¶*. 18.-20. locus classicus est ad comprobandum dogma *descensus Christi ad inferos*.

## CAPUT IV.

Ex cap. III. *¶*. 18. adhortando infert .

1<sup>o</sup>. Ut etiam ipsi eodem quo Christus affectu animati patientes mortificent desideria carnis. *Motiva*. Namque ita

a). Cum Ipso mortui peccato, deinceps Deo vivetis *¶*. 1. 2.

b). Reparabitis tempus, jam nimium in Gentilitate aut ad morem Gentium, peccatis impensum *¶*. 3.

c). Declinabitis condemnatorium Christi judicium, quod impendet infidelibus, qui praesentem vestram alienationem ab eorum vivendi ratione luxuriosa admirantur quidem, sed et blasphemant vel ideo quod hanc non amplius sequimini *¶*. 4. 5.

Sic declinabitis, inquam, judicium Christi *condemnatorium*. Quod enim Christus judicabit omnes, non solum vivos, sed et mortuos, vel ex eo patet quod non solum vivis, sed, ut supra cap. praec. *¶*. 19. 20. dictum fuit, etiam mortuis praedicavit, adeoque mortuorum aequae ac vivorum Dominus est, cujus judicium ab hominum judicio nonnumquam quidem discrepat, omnibus autem una cum morte instat. *Estote itaque prudentes*, ad judicis adventum semper parati, et *vigilate in orationibus* *¶*. 6. 7.

2<sup>o</sup>. Ut ante omnia exerceant charitatem, quippe quae operit multitudinem peccatorum *¶*. 8., nominatim

a). Per hospitalitatem, quin murmurent de molestiis aut expensis, quae hanc comitari solent *¶*. 9.

<sup>1)</sup> Ceterum cfr. s. Aug. de *SS. Trin.* lib. XIV. et Dens de *virt. fidei* n. 20.21.

b). Per rectum usum charismatum, quæ quis a Domino acceperit; quicumque enim ille est, memor esse debet quod non sit horum dominus, sed dispensator ad utilitatem proximi, et ultimatim ad honorem Dei. Itaque si quis acceperit donum sermonis, doceat non quidlibet, sed sacrosancta eloquia Domini; si donum ministerii, administret *tamquam ex virtute quam administrat Deus ut in omnibus honorificetur Deus per J. C.* v. 10. 11.

3<sup>o</sup>. Ut nolint mirari si Deus tot tantasque illis immittat tentationes probationis, tribulationes, adversitates.

a). Sic enim nihil novi nobis contingit v. 12. Stata enim est lex, „*quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*” Act. XIV. 21. Et ipse Christus hac via ad gloriam suam pervenire debuit, Luc. XXIV. 26. *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Itaque obvenientes adversitates non admirationis, sed potius gaudii materiam habeatis: *communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriae ejus gaudeatis exultantes* v. 12. 13.

b). Quia exprobrari in nomine Christi, indicium est beatitudinis, argumentum honoris, gloriae et virtutis Dei, et testimonium praesentis in nobis Spiritus Sancti v. 14.

Id unum caveatur ne passionum causa sit crimen a tolerante admissum, puta homicidium, furtum etc., sed sola professio nominis Christiani v. 15. 16.

c). Quia tempus sentiendi iudicium Dei per afflictiones est in hac vita bonis constitutum, malis vero in altero saeculo. Quod consolationis ~~piorum~~ <sup>malorum</sup> causa duplici argumento a minori confirmat. *Primum.* Si iudicii divini initium tantum et tam asperum est per omnis generis aerumnas quas nos fideles patimur: quanta et quam horribiles futurae servantur iis qui non credunt Dei Evangelio? v. 17. *Secundum.* Si justus vix, i. e., non nisi cum magna plurimarum aerumnarum tolerantia salvus fit, impius et peccator ubi parebunt? v. 18., q. d., quam misere peribunt.

Itaque — concludit — qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas bonis operibus ¶. 19.

*Nota.* Ad tramites B. Petri, utilissime hae ipsae conclusiones practicae ex meditatione de passione Domini N. J. C. eliciuntur, et fidelibus exponuntur.

## CAPUT V.

*Officia specialissima superiorum Ecclesiasticorum erga suos subditos, et vicissim.*

I. Asserta sua auctoritate titulo presbyteri et testis oculati mysteriorum Christi, obsecrat presbyteros ¶. 1., ut curam fidelium sibi subditorum gerant.

1<sup>o</sup>. Non coacte, et proinde segniter, sed spontanee, animo volenti, ut vult Deus, et proinde alacriter et diiigenter;

2<sup>o</sup>. Recto fine: non turpis lucri gratia, sed voluntarie, ex corde et animo, ex amore muneris vestri ¶. 2.

3<sup>o</sup>. Neque ut dominantes in subditos, sed iis bono exemplo praelucentes ¶. 3. *Motivum*: gloriae corona, quam a supremo pastore percipient, si ita ministerio suo functi fuerint ¶. 4.

II. Subditis fidelibus imperat obedientiam erga presbyteros ¶. 5.

III. Utrisque commendat

1<sup>o</sup>. Humilitatem, *quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, et ab effectu: exaltabit vos ¶. 5. 6.

2<sup>o</sup>. Plenam in omnibus sollicitudinibus confidentiam in Dei providentiam, *quoniam ipsi cura est de vobis* ¶. 7.

3<sup>o</sup>. Sobrietatem, et vigilantiam contra diaboli tentationes, propter hujus feritatem, et perpetuum nos perdendi studium ¶. 8. Cui resistant fortes in fide, insuper his *motivis* animati, quod omnium in fide fratrum in hoc mundo sors est, pati, tentari ¶. 9. *Deus autem . . . modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi proin gloria et imperium* ¶. 10. 11.

## IN EPILOGO

Monet de litterarum latore Silvano, et argumenti expositi veritate  $\text{v}^{\circ}$ . 12.

Salutem dicit a Romana Ecclesia et Marco  $\text{v}^{\circ}$ . 13., eamque communicari imperat mutuo osculo sancto, precaturque gratiam omnibus, qui sunt in C. J. Amen.

*Nota* 1<sup>o</sup>. in  $\text{v}^{\circ}$ . 1. S. Petrus exemplo suo pastores quosvis, ut ut dignitate eximios, docet modestiam et humilitatem, sese — quamvis honore et jurisdictione a Christo omnibus praelatum — vocando „conseniorem”, atque inferiores suos, non ut dominus imperii, sed ut frater „obsecrationis” verbis alloquendo. Nihil igitur suimetipius compellatio ista „*consenior*” obstat primatui Petri, quinimo ex ipso hoc loco confirmari potest. Vide Estium ad *h. l.*

2<sup>o</sup>. In  $\text{v}^{\circ}$ . 2. „*neque turpis lucri gratia.*” Ut enim praeclare scribit S. Hier. 1) „Gloria Episcopi est pauperum inopiae providere. Ignominia omnium sacerdotum est, propriis studere divitiis.”

3<sup>o</sup>. In  $\text{v}^{\circ}$ . 3. „*forma gregis.*” Vere enim s. Greg. 2) ait „Op-  
tima ovium pascua sunt exempla pastoris.” Et iterum 3) „Lo-  
quendi auctoritas perditur, quando vox opere non juvatur.” Quare ad rem s. Hier. in epist. statim laudata „Non confundant opera  
tua sermonem tuum; ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus qui-  
libet respondeat: cur ergo haec quae dicis, ipse non facis?  
Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat.  
Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens,  
manusque concordent.”

4<sup>o</sup>. In  $\text{v}^{\circ}$ . 7. „*omnem.... quoniam ipsi cura est de vobis.*” Praeclare igitur S. Aug. 4) Deum affatur, exclamans: „O tu, bone omni-  
potens, qui sic curas unumquemque nostrum, tamquam solum  
cures; et sic omnes tamquam singulos.”

1) ad *Nepotian.* Ep. „Petis a me.”

2) *Lib. Past.* part. I. cap. III.

3) *Lib. mor.* in Job cap. XVIII.

4) *Confess.* lib. III. cap. XI.

Epistola B. Petri Apostoli  
secunda.

I. Certo genuina, cap. I. v̄. 1. cap. III. v̄. 1., deutero-canonica est. <sup>1)</sup>

II. Scripta ad eosdem ac ad quos miserat priorem. Cap. III. v̄. 1.

III. Occasio et causa duplex ex ipsa epistola eruitur.

a). Mors brevi sibi instans I. 14.

b). Periculum perversionis ex pseudo-prophetarum erroribus jam plane imminens.

IV. Scopus hinc est, mediante hac epistola, fideles etiam post mortem suam,

a). praemunire adversus falsas doctrinas pseudo-doctorum.

b). confirmare in tradita fide, et studio bonorum operum. Cfr. I. 12.-15., III. 1. 2. 17.

V. Argumentum igitur jure dicitur dogmatico-morale, atque bene scopo praedicto aptatum est.

VI. Summa enim epistolae haec :

Cap. I. eos provocat ad virtutum omnium exercitium, in memoriam eorum revocans divina beneficia, promissa, et gloriosum Christi adventum in die judicii.

Cap. II. eos praemonet de pseudo-prophetis, qui brevi apud illos surrecturi essent, horumque subdolan pravamque indolem vivacibus coloribus ac vehementiori stylo sub oculos ponit, simulque praenunciat gravissimas poenas, quae illis ex justo Dei judicio impendent.

Cap. III. cavillationes pseudo-prophetarum, adventum Christi ac judicii diem in dubium revocantium, refutat, moralia addit monita, ac S. Pauli epistolas laudat.

VII. Tempus et locus. Scripsit hanc paulo ante martyrium (I. 14. 15.), anno 66. vel 67. aerae vulgaris, Romae, ut ex ipso tempore suadetur, et communis habet sententia. <sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> cfr. Ubaldi T. I. a p. 162.-170.; Drach §. 1.; Franzelin, *De Script.* Th. XV.

<sup>2)</sup> Drach §. II. n. 2. 3.

VIII. Lingua originali graeca; stylo vehementiore, obscuro maxime ob longiores periodos. <sup>1)</sup>

IX. Differentiae a priore Epistola.

„Duae epistolae . . Petri stylo inter se et charactere discrepant, structuraque verborum.” <sup>2)</sup> Hanc styli diversitatem s. Hier. *l. c.*, itemque Clemens Alex. <sup>3)</sup> explicat ex diversitate amanuensium, seu, interpretum, quibus B. Petrus usus fuerit, qui quae ipse lingua chaldaica dictarit Graece scripserint, et reputantur fuisse Marcus et Silvanus (cfr. *I. epist. V. 12. 13.*). At vero ipsius argumenti diversitas esse potuit causa sufficientissima diversitatis styli, sive jam ipse B. Petrus sua manu utramque scripserit, sive eidem amanuensi dictarit. Prior namque tota paraenetica, exhortatoria; haec vero altera praesertim doctrinalis, polemica, acrius invehit adversus illius temporis haeticos Gnosticos, quorum paradoxa praecipua haec erant: doctrina, nescio quam, angelorum hunc mundum regentium, a quibus solam  $\gamma\omega\sigma\tau\upsilon$ , *scientiam* homines accipere posse effutiebant; mores turpissimos habebant, adventum J. C. ridebant, Pauli epistolas falso interpretabantur, apocryphis historiis nixi, quibus omnibus maximo offendiculo fidelibus erant. Atqui certe nullus est qui eodem stylo et ratione consilia det ad virtutes christianas et patientiam sectandam, — et veritatem tueatur, suosque adversus malevolos adversarios defendat. <sup>4)</sup>

## CAPUT I.

1<sup>o</sup>. Iis ad quos scribit salutem dicit  $\psi$ . 1., et gratiam et pacem precatur perpetuo majorem per plenioram semper cognitionem Dei, et Christi J. D. N.  $\psi$ . 2.; nominatim per plenioram semper agnitionem divinae potentiae et munificentiae, qua Deus intuitu meritorum Christi omnia quae ad vitam et pietatem spectant  $\psi$ . 3., adeoque maxima et pretiosissima nobis promissa donavit, uti patet ex eorundem donorum fine, qui est: ut per haec, quantum homini congruere potest, ef-

<sup>1)</sup> Drach §. V.

<sup>2)</sup> S. Hier. *Hedibiae* „Ignota vultu” Q. XI., et *De viris illustrib.* cap. I.

<sup>3)</sup> *Stromatum* lib. VII.

<sup>4)</sup> cfr. Caminero n. 585. 586.; Ubaldi *l. c.* p. 169.

ficiamur divinae consortes naturae, nempe fugientes concupiscentiam, indeque sequentem corruptionem hujus mundi  $\text{v}^{\circ}$ . 4.

2<sup>o</sup>. Ex indicatis tantis sibi divinitus collatis beneficiis infert adhortationem, ut et ipsi ex sua parte his donis respondeant, nempe, *curam omnem subinferentes*, ministrent in *fide virtutem etc.*  $\text{v}^{\circ}$ . 5.-7.

Quam adhortationem urget quadruplici motivo: a). Ab utilitate insigni, si habeant; b). a detrimento maximo, si non habeant praedictas virtutes.

Quandoquidem ad a). *si vobiscum adsint*, et quo perfectius adsint, eo plus, *non vacuos, nec sine fructu vos constituent in D. N. J. C. cognitione*  $\text{v}^{\circ}$ . 8.

Ad b). *Contra, cui non praesto sunt, caccus est, et manu tentans*, et insuper quam maxime ingratus, utpote obliviscens remissionem peccatorum, quam in Baptismo vel Sacramento poenitentiae a divina misericordia accepit  $\text{v}^{\circ}$ . 9. Quapropter — denuo urgens suam adhortationem, addit — *fratres, satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*

c). *Haec enim facientes, non peccabitis aliquando*  $\text{v}^{\circ}$ . 10, graviter, aut saltem id de congruo merebitis, ut a peccato resipiscamini. Adeoque

d). Sic facilis vobis ministrabitur in coelum aditus.  $\text{v}^{\circ}$ . 11.

3<sup>o</sup>. Quae cum ita sint — quamvis forte non nemini videar nimium in iisdem admonitionibus insistere — denuo *incipiam vos semper commonere de his*, utpote quae numquam nimium etiam scientibus inculcantur  $\text{v}^{\circ}$ . 12., tanto magis quod ex privata revelatione novi, me brevi moriturum; quare, quamdiu vivo, vos pro officio meo commonebo, et operam dabo, ut et post obitum meum frequenter doctrinae meae memoriam faciatis  $\text{v}^{\circ}$ . 13.-15.

4<sup>o</sup>. Doctrina namque quam praedico fide dignissima est. Quod confirmat

a). Ex suo, ut testis oculati, transfigurationis Domini testimonio. Praedicantes enim vobis D. N. J. C. virtutem et prae-



sentiam, non secuti sumus doctas fabulas, sed testati sumus quod ipsi vidimus et audivimus in monte Thabor  $\text{v.}$  16.-18.

b). Ex eo quod ipsa haec historia Transfigurationis Domini est confirmatio prophetiarum de Christo; sive, quod sermo prophetarum per Christi transfigurationem factus est firmior  $\text{v.}$  19. <sup>1)</sup>

5<sup>o</sup>. Interim — subdit — *donec dies alterius vitae elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris*, benefacitis attendentes memoratis prophetiis, quae sunt quasi lucernae lucentes in caliginoso hoc mundo  $\text{v.}$  19. Benefacitis, inquam, his attendentes, dummodo principii instar id intelligatis earundem interpretationem neutiquam ex privato hominum sensu faciendam esse  $\text{v.}$  20., vel ideo quod earundem conceptio et elocutio non humanae voluntati, sed afflatui, seu, inspirationi Spiritus Sancti tribui debet  $\text{v.}$  21.

*Nota pro doctrina 1<sup>o</sup>. dogmatica.*

a). Dictio illa: *ut per haec efficiamini divinae consortes naturae*, nequaquam Pantheistis favet; agitur, ut ex integrae sententiae explicatione patescat, non de consortio et unione reali et physica, sed mystica et spirituali, per quam Ecclesia et Ecclesiae membra sunt corpus Christi mysticum.

b). Ad salutem non sufficit fides sine operibus  $\text{v.}$  5.-11.

c). Scripturae sunt a Spiritu S. inspiratae, neque privato spiritu interpretandae  $\text{v.}$  20. et 21. Cfr. *Introd. in S. S.* n. 67. et *scholion* ad n. 68., ex quibus solve: An, et quatenus hic locus probet Scripturarum inspirationem?

2<sup>o</sup>. *Morali.* Ad tramites S. Petri, nihil graventur Pastores de maxime necessariis fidei morumque capitibus iterato monere non solum rudes et imperitos, sed et in veritate, de qua agitur, institutos  $\text{v.}$  12.-14.

## CAPUT II.

Quo fideles confirmet in fide, eos praemunit adversus emer-

<sup>1)</sup> cfr. Drach in *h. l.*, et cl. Kilber, *Analys. Biblic.*

gentes haereticos, quorum describit *generatim* indolem, effectus, et poenas.

Indoles eorum generatim ea est: sunt magistri mendaces, subdoli et ingrati, ut qui subdole introducunt sectas, i. e., haereses perditionis, imprimis aliquo, quovis tandem sub respectu, de J. C., qui suo sanguine eos quoque emit, negantes veram doctrinam  $\text{v. 1.}$ , luxuriosi et temporalium cupidi  $\text{v. 2. 3.}$

Effectus is: multi sequentur eorum luxurias et sic sanctam nostram religionem pravis suis moribus deturbabunt  $\text{v. 2.}$ , capti fictis eorum verbis  $\text{v. 3.}$

Poenae. Dum alios perdunt, introducentes sectas perditionis, ipsi sibi superducent celerem perditionem  $\text{v. 1.}$  Revera celerem certamque eos manere poenam speciatim triplici argumento a simili, sive exemplo vindictae divinae in malos, — benignitatis autem erga bonos, probat.

a). Ab angelis peccantibus. Si enim Deus his non pepercit, sed eos ob superbiam in infernum detruxit  $\text{v. 4.}$ ;

b). A diluvio. Si enim pariter non pepercit mundo originali, sed ei impiis, nominatim luxuriosis, repleto diluvium induxit; similiter non parcat superbis istis et luxuriosis eorum magistris  $\text{v. 5.}$

c). Ab eversione Sodomae et Gomorrhuae, quarum civitatum punitionem Deus exemplum posuit eorum, qui impie acturi sunt  $\text{v. 6.}$

Contra, ab exemplis

a). Noe, quem justitiae praeconem cum septem aliis a diluvio custodivit  $\text{v. 5.}$

b). Loth, quem oppressum a nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit, quia ab omni obscenitate et videnda et audienda erat quam abhorrentissimus, vereque justus permansit, quamvis habitaret apud eos qui de die in diem animam ejus justam iniquis suis operibus cruciabant  $\text{v. 7. 8.}$

c). Sententia generali. „Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos”  $\text{v. 9.}$ ,

praesertim autem eos, qui impudicitiae se tradunt etc. v. 10.

*Speciatim* hic describit indolem haeticorum, ut *qui post carnem ambulant, dominationem contemnunt, audaces sunt, sibi placentes, non metuunt factiones introducere* et sese mutuo *blasphemare* cum sibi adversantur v. 10., hac factiosa maledicentia ipsis angelis malis pejores sunt, nam angeli, tametsi sint fortitudine ac potentia hominibus majores, non portant adversum se execrabile iudicium v. 11. Hi vero — velut irrationabilia pecora, naturaliter nata ut capiantur et mactentur — quae ignorant sacrosancta fidei mysteria blasphemantes propter corruptionem suam moralem peribunt, percipientque justam suae injustitiae, malitiae poenam v. 12. 13. Namque voluptatem existimant diei delicias, — verbo: ipsa sunt turpitudine v. 13., toti dediti luxuriae, seductores infirmorum, avari ad modum Balaam, cum dedecore castigati v. 14.-16. Sunt *fontes*, sed *sine aqua* salutaris doctrinae; *nebulae* sunt lucem veritatis obscurantes, ventis opinionum inconstantium agitatae v. 17.

*Speciatim* effectus. Superba et vana sua praedicatione, necnon sensualitatis persuasionem, et libertatis promissione pellunt quosdam sequaces, qui ob ingratitude, malitiam et turpitudinem relabuntur in servitutem pejorem priori v. 18.-21., quod duplici proverbio confirmat v. 22.

*Nota pro doctrina 1<sup>o</sup>. dogmatica.*

a). Ex v. 1. „*et eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.*” Ergo Christi redemptio non ad solos praedestinos restringitur. <sup>1)</sup>

b). Causae ordinariae haerescon sunt superbia, luxuria, avaritia v. 1.-3. 10. „Nulla haeresis, inquit s. Hieronym. <sup>2)</sup>, nisi propter „gulam ventremque constituitur.” Idem s. Doctor <sup>3)</sup> „Raro, ait, „haeticus diligit castitatem” et <sup>4)</sup> „difficile est haeticum repe-

<sup>1)</sup> Cfr. Dens, *De gratia* ad n. 24.

<sup>2)</sup> In *Jerem.* cap. III.

<sup>3)</sup> In *Oseeae* VII. 13.

<sup>4)</sup> In c. IX. v. 11.

„rire qui diligit castitatem; non quod eam praeferre desistat in „labiis, sed quod non servet in conscientia, aliud loquens, aliud „faciens.”

Grandaevus ipse Beza — ut tacitus alios pertranseam puta Lutherum atque Calvinum — moribus suis dictorum veritatem comprobatur. <sup>1)</sup>

e). In *ŷ.* 4. de peccato et poena angelorum lapsorum, cfr. S. Th. p. I. Q. 63. 64. et Tract. de *Angelis* ad n. 82. 83.

d). *Sectas non metuunt introducere blasphemantes* *ŷ.* 10. „Mentior, inquit Tertul. <sup>2)</sup>, si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quae accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam et originis suae morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspectae haereses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.”

2<sup>o</sup>. *Morali.*

a). In *ŷ.* 3. *In avaritia fictis verbis de vobis negotiabantur.* (cfr. *ŷ.* 14.-16.) Utinam tales non invenirentur in ipso Ecclesiae sinu, ex sacro ministerio artem ditescendi facientes, quibus illa Domini per os Ezechielis increpatio convenit: *Vae qui consuunt* etc. cap. XIII. *ŷ.* 18. 19. (Nat. Alex.)

b). *Exempla poenarum terribilium in impios* *ŷ.* 4.-6. *Verumtamen dico vobis, quia terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi* <sup>3)</sup> Christiano iisdem vitiis dedito, iisdem impudiciis inquinato.

c). In tentationibus, quibus ratione officiorum status, puta in studio et confessionali, vexamur, media pietatis ipsi sedulo adhibeamus, ceterum plene confidamus Domino, qui *novit pios de tentatione eripere* *ŷ.* 7.-9.

d). In *ŷ.* 14. *Oculos habentes plenos adulterii* etc. „Non dicatis, „scribit s. Aug. <sup>4)</sup>, vos habere animos pudicos, si habeatis ocu-

<sup>1)</sup> cfr. *Vie de S. Franc. de Sales*, liv. 3<sup>e</sup>., Oeuv. T. I. a p. 74.-82., an. 1597.

<sup>2)</sup> *De Praescript. adv. Haereticos*, cap. XLII.

<sup>3)</sup> *Matth.* XI. 24.

<sup>4)</sup> *Epist.* 211. n. 10. apud Drach in *h. l.*

„los impudicos: quia *impudicus oculus impudici cordis est nuntius.*”  
Et s. Hier. <sup>1)</sup> „ut munda mens in cogitatione servetur, a lasci-  
„via voluptatis suae deprimendi sunt oculi, quasi quidam rapt-  
„res ad culpam.”

e). In *ŷ. 18.* „*Superba vanitatis loquentes.* Vere Tert. <sup>2)</sup> ait:  
„Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ipsae mulieres hae-  
reticae, quam procaces. Quae audeant docere, contendere.” Et s.  
Hier. <sup>3)</sup> „Loquuntur grandia, et totus eorum sermo superbia est.”

f). In *ŷ. 18.* *Pellicunt in desideriis carnis luxuriae eos, qui paululum effugiunt (animas instabiles ŷ. 14.)* Apposite sciteque proin  
Tert. <sup>4)</sup> „De verbi autem administratione quid dicam; *cum hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi?* Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur: quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua aedificent.”

g). *Libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis ŷ. 19.* Effrenis quidvis agendi licentia christianae libertatis nomine palliata quam plurimos in haeresim pertrahit! Illam polliciti pseudo-Reformatores saec. XVI., Philosophi saec. XVIII., perpetuo spondent hodierni magistri mendaces, Liberales, religiosi juxta ac politici, imo ipsi Liberi Muratorii, Positivistae, Nihilistae!

Verum nulla durior, nulla turpior servitus est ea libertate, quam sectatoribus suis — a se enim dissidentes simpliciter opprimunt — errorum magistri pollicentur. Quid enim miserius, quid turpius, quam et alienis et propriis cupiditatibus servire? Recte s. Aug. <sup>5)</sup>

„Vir justus, inquit, etiamsi serviat, liber est: malus autem etiamsi „regnet, servus est, nec unius hominis; sed, quod est gravius, „tot dominorum, quod vitiorum.” etc. *Cf. Encycl. D. Libertate humana*

h). Contra recidivos *ŷ. 20.-22.* cfr. *Matth. XII. 45. Et sunt no-*  
*vissima hominis illius pejora prioribus. Jois V. 14. Jam noli pecca-*  
*re, ne deterius tibi aliquid contingat.* Iis enim qui in priora peccata relabuntur, contingit illud veri proverbii: *canis reversus ad suum*

<sup>1)</sup> In *Thren. III.*

<sup>2)</sup> *De Praescript. cap. XLI.*

<sup>3)</sup> *Adv. Jovinian. lib. II. n. 3.*

<sup>4)</sup> *L. c. cap. XLII.*

<sup>5)</sup> *De civ. Dei, lib. III. cap. III.*

1888.  
Communica-  
sta "89/1/29  
p. 36 29.

*vomitum.* „Si — prout graviter animadvertit s. Aug. 1) — „Si canis „hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei?” — *Et, Sus lota in volutabro luti.* „Sus — ad rem s. Greg. habet 2) — „in „volutabro luti cum lavatur, sordidior redditur. Et qui admis- „sum plangit, nec tamen deserit, poenae gravioris culpae se sub- „jicit; quia et ipsam quam flendo potuit impetrare veniam con- „temnit, et quasi in lutosa aqua semetipsum volvit, quia dum „fletibus suis vitae munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordi- „das ipsas lacrymas facit.”

### CAPUT III.

Quo fideles vel magis in fide confirmet,

I. pauca praefatur, quibus commendet attentionem ad dicenda, quae sunt: causa ob quam secundam jam epistolarem admonitionem ad eos dirigit *¶* 1., et scopus ac materia suae iteratae scriptionis, nimirum, *ut memores* sint eorum, quae jam pridem iis praedicta sunt a Prophetis et praedicata a suis Apostolis *¶* 2.

II. Eos praemunit adversus futuros in novissimis diebus hostes fidei, quos dignoscere poterunt

a). ex eorum *charactere*, qui est: cum deceptione illudent omnibus, et suis indulgent concupiscentiis *¶* 3.

b). ex *doctrina*, qua, ob dilatatum Christi adventum secundum, negant 1<sup>o</sup>. iudicium futurum, 2<sup>o</sup>. statum mundi hactenus turbatum fuisse, aut 3<sup>o</sup>. umquam postea turbandum fore *¶* 4.

III. Refutat hanc doctrinam.

Quoad punctum 2<sup>um</sup>.: globus terraqueus, inquit, diluvio submersus probat, mundum jam fuisse perturbatum *¶* 5. 6.

Quoad punctum 3<sup>um</sup>.: universum igne exurendum ostendit, mundum posthac perturbandum *¶* 7.

Quoad puncti 1<sup>i</sup>. probationem: dilatio adventus Dominici,

1) *In Ps.* 83. n. 3.

2) *Pastor.* p. III., admonit. XXXI.

inquit, quam adversarii afferunt tamquam indicium numquam futuri iudicii, nihil probat; quia

a). non est diuturna in consideratione Dei; differt huic mundo exitium afferre, non propter se ipsum, sed propter nos. *Non propter se ipsum*; nam ipsi perinde est, sive diu expectet, sive non, sive mille annos, sive diem unum: „*quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus*“ ꝛ. 8.

b). Nec tardat, i. e., ultra debitum tempus Dominus promissionem suam differt, sed patienter agit propter nos, ex misericordia, nolens aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam reverti ꝛ. 9.

Quoad ipsum 1<sup>um</sup>. punctum: *Adveniet, inquit, dies Domini*, dies iudicii; adventus autem iudicis erit subitaneus, inexpectatus: *ut fur*; et finis mundi violentus, per ignem ꝛ. 10.

IV. Ex praemissis argumentans colligit

1<sup>o</sup>. ex dissolutione universi mundi, esse nunc colendam sanctimoniam, exercendam pietatem ꝛ. 11., incunctanter instituendam praeparationem ad diem Domini ꝛ. 12.

2<sup>o</sup>. Ex novitate mundi immutandi, excitandam expectationem et spem promissorum ꝛ. 13.

3<sup>o</sup>. Ex utriusque expectatione,

a). esse satagendum ut immaculati inveniamur coram Deo, cum eo pacem habentes ꝛ. 14.

b). longanimitatem D. N. J. C., qua adventum suum differt, esse reputandam tamquam spectantem ad nostram salutem, ut etiam ex s. Pauli litteris contestatur ꝛ. 15., adnotans illarum litterarum tùm difficilem in quibusdam intellectum, tùm abusum, qui in propriam detorquentium perditionem cedit ꝛ. 16.

4<sup>o</sup>. Concludit ut jam a se satis praemoniti et instructi sibi caveant ab errorum magistris, crescant vero in gratia, et in cognitione D. N. J. C., cui gloria et nunc et in saecula saeculorum. Amen ꝛ. 17. 18.

*Nota pro doctrina 1<sup>o</sup>. dogmatica.*

a). Ex  $\text{v}^{\circ}$ . 8. 9. 15. Ergo Apostoli non putabant adventum Domini brevi adfuturum. <sup>1)</sup>

b). Ex  $\text{v}^{\circ}$ . 9. „*volens aliquos perire etc.*, probatur voluntas Dei antecedens salvandi omnes homines.

c). Ad  $\text{v}^{\circ}$ . 13. De statu mundi post iudicium igne conflagrationis immutati cfr. ad *Rom.* VIII. 19.-22.; *Isaiae* cap. LXV. 17.; LXVI. 22. et S. Th. *Summa contra Gentes*, lib. IV. cap. XCVII., seu, ultim., et Schouppe, *Elem. Th. Dogm.* T. II. p. 655. Q. 3.; p. 659. Q. 6.

d). Ex  $\text{v}^{\circ}$ . 15. 16. Ergo epistolae s. Pauli sunt divinitus inspiratae, cfr. *Introd. in S. S.* n. 67.

e). Ergo Scripturae non sunt in omnibus rebus fidei intrinsece et absolute clarae, *Resp.* p. 179.

f).  $\text{v}^{\circ}$ . 18. Haec doxologia Deo propria, argumentum est divinitatis C. J. — cfr. etiam  $\text{v}^{\circ}$ . 12. ubi dicitur „*properantes in adventum diei Domini,*” graece τοῦ θεοῦ.

*2<sup>o</sup>. Morali.*

a). In  $\text{v}^{\circ}$ . 1. 2. Si sincerae mentes frequenter excitandae sunt memoria veritatum fidei, quanto magis quae in tenebris peccatorum alto et placido somno correptae jacent?

b). In  $\text{v}^{\circ}$ . 3. 4. „*venient in deceptione illusores, dicentes: ubi est promissio?*” etc. Hi sublimium ac fortium ingeniorum sibi gloriam arrogantes, simplicitati fidelium illudunt, ipsisque fidei veritatibus, a pseudo-philosophia subornati. Adversus huiusmodi illusores vigilantes Pastores, a grege suo eos arceant, vulgata eorum sophismata diluant.

c). In  $\text{v}^{\circ}$ . 9. „*Grandis, inquit s. Hier. 2)*, clementia Dei, ut expectet nostram poenitentiam: et donec nos a vitiis convertamur, „*ille potentem contrahat manum, ne ferire cogatur.*”

d). In  $\text{v}^{\circ}$ . 10.-14. *Adveniet autem dies Domini UT FUR.* Itaque ad rationem vitae nostrae Christo Judici reddendam tempestive nos praeparemus, poenitentiae aliisque bonis operibus ferventer assidue incumbamus, ne subito praecoccupati die mortis, quaeramus spatium poenitentiae, et invenire non possimus. „*In quo enim, — uti scribit s. Aug. Hesychio 3), — quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis*

<sup>1)</sup> Cfr. s. Aug. Ep. 80. Hesychio „*Accepi litteras*” cap. II. 15. etc.

<sup>2)</sup> Lib. IX. *Comm. in Isaiaem.*

<sup>3)</sup> *Epist.* LXXX., alias XCIX. n. 2. „*Accepi litteras.*”



„in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.” — *Expectantes, et properantes in adventum diei Domini.* „Numquid — idem s. Pater quaerit <sup>1)</sup> — „judicium Dei tantummodo formidandum est, et non amandum? Formidandum malis propter poenam, amandum bonis propter coronam.” Et <sup>2)</sup> „Gaudeat iudicandus, qui timuit iudicaturum.” Verum „non ille diligit adventum Domini qui eum asserit propinquare, nec ille qui eum asserit non appropinquare: sed ille potius qui eum sive prope sive „longe sit, sinceritate fidei, firmitate spei, ardore charitatis expectat.” <sup>3)</sup>

## Epistola B. Joannis Apostoli prima.

I. Est proto-canonicæ.

II. Occasionem eidem praebuere crescentes haereses Gnosticorum, quorum alii, utputa Cerinthus, Ebionitae, Christi Domini divinitatem, alii, quos inter Basilides, veram humanitatem, atque insuper alii, ut Simon Magus et Nicolaitae, necessitatem bonorum operum ad salutem obtinendam inficiabantur.

III. Scopus hinc praecipuus quidem est, ut adstruat veram doctrinam de Verbi divinitate, et Incarnatione: „quoniam Jesus est filius Dei” (cap. V. v. 5.); secundarius vero, ut exinde fideles ad charitatem in Deum et proximum, sive, ad fidem, quae per charitatem operatur, adhortetur.

IV. Argumentum igitur universim jure dixeris dogmatico-morale.

V. Summa difficulter adaequata exhibetur. Si qua partitio facienda, non computato exordio cap. I. a v. 1-4., commode in tres partes refertur.

*Pars 1<sup>a</sup>.* „Deus lux est.” (Cap. I. 5.) Debent igitur Christifideles tamquam filii lucis in luce, non in tenebris, ambulare, adeoque peccata commissa poenitentiam diluere, et in posterum quantum fieri potest, vitare; Dei mandata observare, etiam specialia cujusque

<sup>1)</sup> In *Psalm.* C. n. 2.

<sup>2)</sup> In *Psalm.* LXVI. n. 7.

<sup>3)</sup> *Epist.* laud. n. 15.

statui propria, nominatimque mandatum de dilectione proximi, atque hac ratione ostendere, se Deum vere diligere. Ex his consequuntur quae dein admonet: Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Et cavete a magistris tenebrarum qui negant, „quoniam Jesus est Christus,” sed firmiter Ei adhaerete, sicque in luce veritatis ambulate. cap. I. a  $\nu$ . 5.-II.  $\nu$ . 28.

*Pars 2<sup>a</sup>.* Jesus Christus, Deus homo, *justus est.* Cap. II.  $\nu$ . 29. Ideirco etiam Christifideles adnitantur peccatum fugere, justus esse, sicut et ille justus est, ut sic, nominatimque iterum sincera, et operatoria fratrum dilectione ostendant, se genuinos esse filios Dei, non autem diaboli, qui his contraria suggerit, imo per suos administratos Jesus solvit, negando Ejus veram sive divinitatem, sive humanitatem. cap. II.  $\nu$ . 29.-IV.  $\nu$ . 6.

*Pars 3<sup>ia</sup>.* „*Deus charitas est.*” cap. IV.  $\nu$ . 8. Quum autem ipse Deus prior suam erga nos charitatem evidentissime probarit mittendo Filium suum unigenitum in mundum propitiationem pro peccatis nostris, omnino igitur oportet ut et nos Christifideles proximum diligamus et Deum, idque ostendamus observando ejus mandata, nominatim quae spectant ad fidem unius Dei secundum naturam, Trini secundum Personas. Cap. IV.  $\nu$ . 8.-V.  $\nu$ . 21. <sup>1)</sup>

VI. *Forma* hujus epistolae certe non est ordinaria. Caret enim et initio et fine ceteris ferme omnibus Apostolicis epistolis communi. Initio desideratur consueta auctoris, et lectorum, quibus inscribitur, designatio, uti et ad finem horum salutatio.

VII. Nihilominus satis certo statuitur quod primùm missa fuerit ad Asiae minoris fideles. Prae ceteris enim inter eos et Apostolico suo ministerio functus est s. Joannes, et memorati supra (sub II.) perniciosissimi errores invalescebant. Quod igitur nonnulli post s. Augustinum <sup>2)</sup> epistolam hanc inscriptam ferant *ad Parthos*, ne vix probabile est. Appellatio autem epistolae Joannis *ad Parthos*, orta videtur ex perverse intellecta vel inscriptione 1<sup>ae</sup>. et 2<sup>ae</sup>. epistolae, quae primitus sonuerit: ἐπιστολὴ Ἰωάννου τοῦ παρθένου, *virginis*; vel dictione quadam Clementis Alex. 2<sup>am</sup>. Jois epist. scriptam interpretantis πρὸς παρθένας, *ad virgines.* <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> cfr. Bisping, *Einleitung*, n. 2.

<sup>2)</sup> *Quaest. Evangelic.* lib. II. cap. XXXIX.

<sup>3)</sup> cfr. Bisping *l. c.* n. 3.; Drach, *Préface* §. III. n. 3.

VIII. *Tempus, et locus* scriptionis certo definiri nequeunt. Epistolam hanc esse praefationem quamdem dedicatoriam, seu, introductionem ad ipsum Evangelium S. Joannis, atque una cum Evangelio ita Ecclesiae traditam fuisse, ut genuinitatis illius argumentum esset, cum cl. Joan. Leon. Hug <sup>1)</sup> multis quidem recentioribus probatur a). ex ipsa ejusdem forma <sup>2)</sup>; b). ex quibusdam ejusdem locis manifesto, ut aiunt, ipsum Evangelium inelamantibus, puta c. I. 1.-4.; II. 12.-14.; 21.-26.; V. 9.; c). ex fragmento canonis Muratori. Ut adeo una cum Evangelio scripta fuerit *Ephesi*, vel inter an. aerae vulgaris 70.-80., vel, ut communior sententia fert, inter annum 96.-98. <sup>3)</sup> — At tota haec argumentatio non nisi recens, et mera conjectura, potissimum innixa utique haud firmae inductioni paucorum locorum, fragmento Muratoriano perquam obscuro, et formae epistolae insolitae, uti solide evincit cl. Drach. <sup>4)</sup> Missa igitur omni disputatione, repetere placet, de loco et tempore non certo constare; id tamen ex communiore sententia merito adstruitur, epistolam hanc non nisi viginti prope annis post ultimam B. Pauli et Petri epistolam prodiisse, <sup>5)</sup> sive tandem *Ephesi*, sive in insula *Pathmos* exarata fuerit.

IX. *Lingua* originalis certo *graeca* fuit. *Stylus* gravis simul et dulcis, materiae pertractandae plane congruens, charitatemque imprimis concilians. Ut enim praeclare ait s. Aug. <sup>6)</sup> „In ipsa Epistola „satis dulci omnibus quibus sanum est palatum cordis . . . maxime „charitas commendatur: Locuturus est enim multa, et prope omnia „de charitate. Qui habet in se unde audiat, necesse est gaudeat „ad quod audit: sic enim illi erit lectio ista, tamquam oleum in „flamma. Si est ibi quod nutriatur, nutritur, et crescit et permanet. Item quibusdam sic esse debet tamquam flamma ad fomitem, „ut si non ardebat, accedente sermone accendatur. In quibusdam „enim nutritur quod est, in quibusdam accenditur si deest, ut omnes in una charitate gaudeamus.”

<sup>1)</sup> *Einleitung*, 2<sup>ter</sup> Theil §. 65.-70.

<sup>2)</sup> cfr. dicta in praenotam. VI.

<sup>3)</sup> cfr. Caminero, *Manuale Isagogic.* n. 588.; Bisping *l. c.* n. 2.

<sup>4)</sup> *L. c.* §. III. n. I. et §. IV.

<sup>5)</sup> cfr. *Introd. in S. S.* n. 66.

<sup>6)</sup> *Expositio in epist. B. Jois*, Prooem.

## CAPUT I.

In *prooemio* 1<sup>o</sup>. annunciat *praecipuum fidei objectum*, quod est: Christus est aeternus Dei Filius, in tempore incarnatus. *Mysterium quod fuit ab initio . . . , annunciamus vobis*, nempe *verbum vitae, vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et manifestata est, et apparuit nobis* per Incarnationem, cum Verbum caro factum est *ŷ. 1. 2.*

2<sup>o</sup>. Declarat annunciati mysterii credibilitatem ex suo ceterorumque Apostolorum testimonio indubitando. Quandoquidem annunciamus vobis *quod* ab ipso Filio Dei incarnato *audivimus, quem vidimus oculis nostris, imo attenti perspeximus, quin et manus nostrae contrectaverunt.* Ergo quod annunciamus vobis, fidelis sermo est, et omni acceptione dignus *ŷ. 1. 2. 3. 5.*

3<sup>o</sup>. Fines et effectus suae praedicationis et scriptionis, nimirum, ut et ipsi communionem habeant cum Apostolis, et hinc cum Patre et Filio ejus J. C., ac ut gaudium eorum sit plenum *ŷ. 3. 4.*

PARS 1<sup>a</sup>.

Conditio obtinendi hos effectus 1<sup>a</sup>. est, ut, *quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae ŷ. 5.*, etiam nos non in tenebris ambulemus, sed in luce, a peccatis mundati sanguine J. C. *ŷ. 5.-7.*

2<sup>a</sup>. Ut secundum veritatem humiliter agnoscamus nos peccatum habere *ŷ. 8.-10.* et peccata nostra confiteamur cum spe veniae obtinendae; Deus enim fidelis est, et justus ut ea lege remittat nobis peccata nostra *ŷ. 9.*

*Nota pro doctrina 1<sup>o</sup>. dogmatica.*

- a). Ex *ŷ. 1. et 2.* probatur vera J. C. divinitas et humanitas.
- b). Ex *ŷ. 5.* Dei absoluta perfectio.
- c). *ŷ. 7.* „Sanguis J. C. etc. contra Socinianos palmaris est. Demonstrat enim, maxime collatus cum *ŷ. 1. 2.*, Christum esse verum et naturalem Dei Filium; unam esse Christi Personam; san-

guinis ejus, passionis ac mortis virtute et merito nos remissionem omnis peccati consequi. Quod sane nullius puri hominis, quantumvis sancti, sanguis praestare posset.

d). Ex  $\text{v.}$  8. fidei veritas est, neminem, quantumvis justum, excepta B. Virgine, sine omni prorsus peccato personali vixisse, aut victurum esse. Cfr. can. VII.-IX. Synodi Carthaginensis anni 418. <sup>1)</sup> contra haeresim Pelagii et Coelestii, et Conc. Trid. sess. VI. *de Justificat.* can. XXIII. „Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.”

2<sup>o</sup>. *Morali.* Ad  $\text{v.}$  8. et 9. cum s. Aug. <sup>2)</sup> utiliter commendari potest confessio peccatorum venialium, sed humilis et sincera, et cum proposito ea emendandi et vitandi deinceps. *Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra* „non tantum praeterita, inquit laudatus Ecclesiae Doctor, „sed et si qua forte contraximus ex hac vita; quia non potest homo „quamdiu carnem portat non habere vel levia peccata. Sed ista „levia quae dicimus, noli contemnere. Si contemnis, quando ap- „pendis; expavesce quando numeras. Levialia multa (dispositive) fa- „ciunt unum grande. Multae guttae implent flumen: multa grana „faciunt massam.” Revera multa peccata venialia ex torpore et negligentia committi solita, ad mortale disponunt; caritatis quippe fervorem minuunt; concupiscentiam roborant; vires ad resistendum tentationibus infirmant; gratiae actuales, saltem speciales, quibus infirmitati voluntatis humanae, ne in illis deficiat, efficacissime subvenitur, propter illa nonnumquam justissime subtrahuntur. <sup>3)</sup> *Qui spernit modica, paulatim decidet.* <sup>4)</sup> „Et — ita pergit s. Aug. — „Et quae spes est? Ante omnia confessio . . . Dic hominibus quid „es, dic Deo quis es: quia si non dixeris Deo quod es, damnat „Deus quod in te inveniet. Non vis ut ille damnet, tu damna: „vis ut ille ignoscat, tu agnosce. Ut possis Deo dicere: *Averte faci- „ciem tuam a peccatis meis*, dic illi etiam illa verba in ipso Psal-

<sup>1)</sup> *Comp. Hist. Eccl.* ep. III. n. 73.

<sup>2)</sup> *Exposit. in Epist. Joan.* Tract. primus.

<sup>3)</sup> cfr. *Catech. dioec.* Lect. 40. Q. 11., et Dens, *Tract. de pecc.* n. 169.-170.

<sup>4)</sup> *Ecclési.* XIX. 1.

„mo: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.*” <sup>1)</sup> „Quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis delicta nostra, et purget nos ex omni iniquitate. Quod si diximus quoniam non peccavimus: mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis. Si dixeris, non peccavi, illum facis mendacem, cum te vis facere veracem. Et ne forte impunitatem videretur dedisse peccatis, quia dixit: *Fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ob omni iniquitate, et dicerent jam sibi homines: Peccemus, etiam securi faciamus quod volumus, purgat nos Christus, fidelis est, et justus purgat nos ab omni iniquitate: tollit tibi malam securitatem, et inserit utilitatem timorem. Male vis esse securus. Sollicitus esto. Fidelis enim est, et justus, ut dimittat nobis delicta nostra, si semper tibi displiceas, et muteris donec perficiaris. Ideo quid sequitur? Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis.*”

## CAPUT II.

Memoratas (cap. I.) conditiones urgens, monet

1<sup>o</sup>. Ut studeant vitare peccatum; eo autem admissio, numquam desperent. *Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis semel justificatus peccarit levius vel gravius, ne desperet. Etenim advocatum habemus apud Patrem, J. C. justum, qui est propitiatio pro peccatis nostris: imo pro totius mundi* ꝛ. 1. 2.

2<sup>o</sup>. Ut mandata J. C., Dei et Domini nostri, observent.

*Motiva:*

a). Quia per hoc scimus, quod practice cognovimus eum ꝛ. 3.

b). Quia alioquin, quidquid dicamus nos noscere eum, mendaces sumus, et veritas in nobis non est ꝛ. 4.

c). Quia ista observantia, nota est perfectae in Deum charitatis, et mansionis in eo ꝛ. 5.

d). Quia nota est verae imitationis Christi ꝛ. 6.

<sup>1)</sup> Ps. L. ꝛ. 11. 5.

3°. Ut observent nominatim mandatum de dilectione proximi. *Motiva* :

a). Quia mandatum istud non est novum vobis, sed vetus, quod habuistis ab initio conversionis et jam pridem audistis *ŷ*. 7.

b). Quia revera tamen simul est novum, quatenus a Christo perfectum est, et a vobis jam perfectius sin adimpletur, certe adimplendum est, *quia tenebrae ignorantiae transierunt, et verum lumen jam lucet* *ŷ*. 8.

c). Quia qui odit fratrem suum, praebet indicium se non in luce, sed in tenebris esse usque adhuc *ŷ*. 9., ideoque praesagium multorum aliorum peccatorum *ŷ*. 11.

d). Quia contra, qui diligit fratrem suum, in lumine manet, adeoque facile quodvis offendiculum, alia peccata vitat *ŷ*. 10.

4°. Ut omnes filioli sui, seu, fideles sibi in memoriam revocent concessam remissionem peccatorum propter nomen Christi *ŷ*. 12.; speciatim autem seniores, adolescentes, infantes et juvenes quae suae aetati congruunt et veluti propria sunt *ŷ*. 13. 14.

5°. Ut nolint diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. *Motiva* :

a). Quia mundi dilectio pugnat cum charitate Dei *ŷ*. 15.

b). Quia omne quod est in mundo non est ex Patre, sed ex mundo; aliis verbis: quia mundi complexum est corruptio universalis, aliena a Deo *ŷ*. 16.

c). Quia ipse mundus, ejusque bona instabilia sunt, pertranseunt. *Qui autem facit voluntatem Dei*, adeoque non secatur ea quae mundi sunt, sed Deum diligit, manet in aeternum *ŷ*. 17.

6°. Ut fugiant haereticos; permaneant vero in doctrina tradita. Hunc in finem imprimis haereticam doctrinam notat et suggillat

a). Ab ejusdem novitate; recenter exorta, ipsa indicium est, novissimam horam adesse *ŷ*. 18.

b). Ab auctorum ejusdem apostasia ꝑ. 19.

c). Ab ipsa eorum doctrina mendaci et antichristiana; negant quippe Jesum esse Christum, verum Filium Dei, sicque ipsum quoque Patrem negant ꝑ. 22. 23.

d). A seductione, quam intendunt haeretici ꝑ. 26.

Dein doctrinam catholicam commendat

a). Ab adjumentis, quibus ex divina ordinatione acquiritur; nimirum interna Christi gratia, et externa praedicatione Apostolica.

Primum illudque praecipuum subsidium declarat, dicens: *Sed vos fideles unctionem, gratiam internam habetis a Sancto sanctorum, Christo, et mediante praedicatione authentica nostris omnia ad salutem spectantia, plenam assecuti salutis veritatem ꝑ. 20.* Unde, subdit, *nec scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam ꝑ. 21.* utpote edoctis jam praedicatione Apostolorum.

b). Ab ejusdem antiquitate, et utilitate quam re ipsa confert. *Vos quod audistis AB INITIO praedicatum ab Apostolis, pro Christo legatione fungentibus, in vobis permaneat. Si in vobis permanserit idipsum quod audistis ab initio, et vos in Filio, et Patre manebitis ꝑ. 24.* ET HAEC EST REPROMISSIO, QUAM IPSE POLLICITUS EST NOBIS, VITAM AETERNAM ꝑ. 25.

c). A sufficientia praedictorum subsidiorum, quibus vera doctrina, et inde consequens salus comparatur. *Et vos, inquit, unctionem, quam accipistis ab eo, Christo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos praeter id quod evangelizatum est ab Apostolis: sed sicut eo medio unctio ejus docet vos de omnibus ad salutem pertinentibus, sic et verum est, et non est mendacium ullum pseudo-doctorum. Et igitur sicut docuit vos: manete in eo ꝑ. 27.*

d). A fiducia, quam producet in judicio. *Et nunc filioli manete in eo; ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus ꝑ. 28.*



*Nota pro doctrina 1<sup>o</sup>. dogmatica.*

a). J. C. advocatus noster primarius, mediator unus propriis meritis innixus *ϕ*. 1. — Deipara Virgo, Sanctique ceteri advocati nostri secundarii per D. N. J. C., cujus meritis ipsorum pro nobis patrocinium et intercessio apud Deum innititur.

b). Ex *ϕ*. 2. probatur veritas catholica, Christum non pro solis praedestinatiis mortuum esse, sed voluntate vera antecedente pro omnibus omnino hominibus satisfecisse.

c). *ϕ*. 20. 27. frustra a Protestantibus invocati fuere pro spiritu suo privato a Spiritu S. illustrato, tamquam norma et regula fidei, aut interpretandi Scripturas, ad exclusionem authenticae praedicationis Ecclesiasticae. Nam consideratis analogia fidei, et contextu, merito dicitur: in *unctione* praedicatio apostolica includitur, praedicatio haeretica excluditur. <sup>1)</sup> Praeclare s. Aug. <sup>2)</sup> ad illa: *Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos: manete in eo*, sibi objicit: „Quid ergo nos facimus, fratres, quia docemus vos? Si unctio ejus docet nos de omnibus, quasi nos sine causa laboramus. Et ut quid tantum clamamus? Dimittamus vos unctioni illius, ut doceat vos unctio ipsius. Sed modo mihi facio quaestionem, et illi ipsi Apostolo facio: dignetur audire parvulum quaerentem a se, ipsi Joanni dico: Unctio nem habebant quibus loquebaris? Tu dixisti: quia *unctio ipsius docet vos de omnibus*. Ut quid (igitur) talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? quid instruebas, quid aedificabas? Jam hic videte magnum sacramentum, fratres. Sonus verborum nostrorum aures percutit, *magister intus est*. Nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostrae: si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. . . *Magisteria forinsecus adjutoria quaedam sunt et admonitiones*, CATHEDRAM IN COELO HABET, QUI CORDA DOCET: propterea ait et ipse in Evangelio: „Nolite vobis dicere magistrum in terra: unus est magister vester, Christus.” <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. Card. Franzelin, *Tract. de Tradit.* Th. XII. n. I. sub 3<sup>o</sup>; *Introd.* in *S. S.* cl. Ubaldi T. II. p. 39.-42. 43. 44.

<sup>2)</sup> In *h. l.* *Tract.* III n. 3.

<sup>3)</sup> Cfr. *Matth.* XXIII. 8. 10.

2<sup>o</sup>. *Morali.*

a). In  $\text{v}^{\circ}$ . 1. *Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis*, rite venerabilis Beda animadvertit: „Hic hortatur, ut si omni culpa „carere nequimus, demus tamen operam, quantum valemus, ne nos „ipsi fragilitatem nostrae conditionis negligenter agendo augeamus: „sed contra omnia vitia strenue vigilanterque dimicemus, maxime „contra majora et apertiora, quae Domino juvante, facilius supe- „rare vel cavere possumus.”

b).  $\text{v}^{\circ}$ . 3.-6. inculcatur, quod, „probatio dilectionis est exhibitio „operis.” s. Greg. M.

c).  $\text{v}^{\circ}$ . 7.-11. necessitas et *motiva* diligendi proximum.

d).  $\text{v}^{\circ}$ . 16. triplex concupiscentia in mundo regnat ceu triplex causa peccatorum, cui opponitur triplex classis bonorum operum, oratio, jejunium et eleemosyna.

e). In  $\text{v}^{\circ}$ . 17. pulchre s. Augustinus <sup>1)</sup> quaerit: „Quid vis? „Utrum amare temporalia et transire cum tempore, an mundum „non amare, et in aeternum vivere?”

f). In  $\text{v}^{\circ}$ . 19. Haeretici et schismatici ex Ecclesia exeunt nullo ipsius Ecclesiae damno, quia etiam dum in Ecclesia externe versabantur, non erant viventia et utilia Ecclesiae membra, sed mortua, superflua, imo nociva. „Sic, idem s. Augustinus ait <sup>2)</sup>, sunt in corpore Christi, quomodo humores mali, quando evomuntur, tunc relevatur corpus: sic et mali, quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur.”

## CAPUT III.

PARS 2<sup>a</sup>.

Posito principio  $\text{v}^{\circ}$ . 29. cap. praecedentis: *Si scitis quoniam justus est, scitote quoniam et omnis, qui facit justitiam, ex ipso natus est spiritualiter*, seu, factus est filius ejus adoptivus, imprimis admonet, ut perpendant quantam Deus Pater nos adoptans in filios charitatem erga nos ostenderit, suamque idcirco dignitatem et felicitatem, a mundo quidem non aestimatam, *quia non novit Eum*  $\text{v}^{\circ}$ . 1., revera tamen summam; quandoquidem ex illa adoptione *nunc filii*

<sup>1)</sup> *Expos. in epist. Joan.* Tract. II. n. 10.

<sup>2)</sup> *L. c.* Tract. VI. n. 4. 5.

*Dei sumus, et in vita beata similes ei erimus: quoniam videmus eum sicuti est* *ŷ. 2.*

Insistens principio supra posito, nunc docet, quod ipsa haec spes consequendi tanta bona revera stimulus est et *motivum*

1<sup>o</sup>. sanctificandi, seu, purificandi se, sicut et ille purus est *ŷ. 3. 7.*

2<sup>o</sup>. Fugiendi peccatum, utpote quod

a). iniquitas est *ŷ. 4.*

b). Opponitur fini incarnationis Christi. Christus enim in hunc mundum venit, apparuit ut peccata nostra tolleret: etenim peccatum in eo non est *ŷ. 5. 8.*

c). Repugnat unioni cum Christo, et genuino discipulatu, seu, verae ejusdem cognitioni. *Omnis qui in eo manet, quamdiu et quatenus in eo manet, non peccat. Contra omnis qui peccat, et nihilominus cum Gnosticis dicit, se perfectam Christi scientiam habere, ideoque sibi, ut perfectis, omnia licere; nequaquam se iis, quae imperfectis peccata sunt, justitiam amittere, etc. 1), non vidit eum, nec cognovit eum* *ŷ. 6.* Quare monet, ne fideles se ab hujusmodi pseudo-doctoribus seduci sinant, repetitque quod ille solus, qui facit justitiam, justus est: sicut et ille, Deus, Christus justus est *ŷ. 7.*

d). Diabolum instigatorem habet ac exemplar. Qui facit peccatum, ex diabolo est: ad cujus opera dissolvendum Filius Dei incarnatus est *ŷ. 8.* Contra omnis, qui natus est ex Deo, ut talis peccatum saltem grave non facit: quoniam semen ipsius, gratia sanctificans in eo manet, et quamdiu haec in eo manet, non potest peccare graviter, quoniam ex Deo natus est *ŷ. 9.* In hoc igitur quod peccatum saltem grave aut vitetur aut committatur, apparet utrum quis filius Dei adoptivus sit, utrum filius diaboli. Nam quidquid contendant pseudo-doctores: omnis, qui non est justus, et nominatim qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo *ŷ. 10.*

<sup>1)</sup> cfr. S. Irenaeus, *Adv. Haeres.* lib. 1. cap. VI. XXI. n. 4. — *Comp. H. E.*, Epoch. I. n. 51.; Ep. II. n. 6.

3º. Diligendi proximum v. 10. Motiva:

a). Hoc praeceptum imprimis ab initio vobis annunciatum est v. 11.

b). A contrario, seu, a malignitate odii, quae patet ex exemplo Cain v. 12., ex quo simul constat, malos semper odisse bonos. Quapropter *nolite mirari fratres, si odit vos mundus* v. 13.

c). Ab effectu; hujus enim praecepti observantia indicium est quod translati sumus de morte ad vitam; contra, *qui non diligit, sive, odit fratrem suum, manet in morte* spirituali animae v. 14., imo, et dispositive *homicida est*, atque reprobationis aeternae poenam incurrit v. 15.

His rationibus hactenus inculcata necessitate charitatis fraternae, interjicit modum, quo proximum diligere debemus. Nimirum:

*Primo* ita, ut semper animo, et, quando necessitas postulat, reipsa et nos pro fratribus animas ponamus, sicut et ipse Christus, Deus homo, animam suam pro nobis posuit v. 16.

*Secundo*, ut pro viribus de bonis nostris fratri necessitatem habenti communicemus, secus ipsam Dei charitatem eo ipso amissuri v. 17.

*Tertio*. Universim, non verbo tantum et lingua, sed opere et veritate v. 18.

Itaque ulteriora motiva sunt:

d). Exemplum amoris Christi pro nobis mortui v. 16.

e). Quod si quis, concurrente facultate dandi et necessitate proximi, clauserit viscera sua ab eo, eo ipso amittit charitatem Dei v. 17. <sup>1)</sup>

f). Quod charitatis exercitium praebet et indicium, ex quo cum certitudine confidentiali cognoscimus, quod ex veritate, sive, veri filii Dei sumus, et cordis persuasionem, seu, tranquillitatem coram Deo, quod sumus in ejus gratia v. 19.

Contra, *si reprehenderit nos cor nostrum* puta quod proxi-

<sup>1)</sup> cfr. Dens, *De virtute charitatis* n. 144.

mum verbo tantum diligamus, et non opere et veritate: *major est Deus corde nostro*, ideoque multo magis nos reprehendere potest, quippe qui *novit omnia*, etiam intima cordis sensa et occultissima opera  $\text{v. 20}$ .

g). Quod insuper praebet fiduciam ad Deum, et spem omnia oratione ab eo obtinendi, quoniam, ex hypothesis, mandata ejus custodimus  $\text{v. 21. 22}$ .

Siquidem omnia mandata ejus ad haec duo reduci possunt: ut credamus in nomine Filii ejus J. C.; et diligamus alterutrum  $\text{v. 23}$ . Atqui — ut omnia hactenus dicta verbo resumantur — horum mandatorum observantia efficit constantem hominis cum Deo unionem, et signum est inhabitantis Spiritus Sancti in nobis  $\text{v. 24}$ .

*Nota.*

1<sup>o</sup>. In  $\text{v. 1. 2}$ . Admiremur, et grato animo recogitemus immensam illam Dei erga nos charitatem, qua nos in filios suos adoptavit, et ipsa sui visione in aeternum beare statuit. Agnoscamus hanc dignitatem nostram, et divinae consortes facti naturae <sup>1)</sup>, in veterem vilitatem degeneri conversatione numquam redeamus; nihil cogitemus, loquamur, aut agamus quod adoptione aut futura nostra destinatione indignum est. Caeci homines de carnalis originis nobilitate gloriantur, et ut ad magnitudinem et honores perveniant omni opera contendunt; dignitatem autem filiorum Dei, et gloriam coelestem parvi faciunt. Dilectores mundi non cognoscunt filios Dei. „Insultant bene viventibus, inquit s. Aug. <sup>2)</sup> At- „tendite, et videte, quia forte sunt et inter vos. Unusquisque ves- „trum qui jam pie vivit, qui contemnit saecularia, qui non vult „ire ad spectacula, qui non vult se inebriare quasi solemniter, et „quod est gravius, accedente patrocinio sanctorum dierum fieri „immundus <sup>3)</sup>; qui ista facere noluerit, quomodo ei insultatur ab „his qui faciunt? Numquid insultaretur ei si agnosceretur? Quare „autem non agnoscitur? *Propter hoc mundus non novit nos: quia*

<sup>1)</sup> cfr. II. *Petr.* I. 4.

<sup>2)</sup> *In h. l.* Tract. IV. n. 4.

<sup>3)</sup> puta occasione dedicationis Ecclesiae (kermis), Bacchanalium, medio quadragesimali jejunio, *mi-carême*, etc. etc.

„non novit eum. Ambulabat et ipse D. J. C. in carne: erat Deus, latebat in infirmitate. Et unde non est cognitus? Quia omnia peccata arguebat in hominibus. Illi amando delectationes peccatorum non agnoscebant Deum.”

2<sup>o</sup>. *¶* 3. Liberum arbitrium sub gratia salvum significat. Praeclare id s. Augustinus <sup>1)</sup> evincit, dicens: „Videte quemadmodum (s. Joannes in Spiritu Sancto) non abstulit liberum arbitrium, ut diceret „castificat (sanctificat) semetipsum. Quis nos castificat nisi Deus? Sed „Deus te nolentem non castificat. Ergo quod adjungis voluntatem „tuam Deo, castificas teipsum. Castificas te, non de te, sed de „illo qui venit ut habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo et tibi aliquid tributum est. Ideo autem tibi tributum est, ut dicas sicut in Psalmo <sup>2)</sup>: *Adjutor meus esto: ne derelinquas me.* Si dicis, *Adjutor meus esto*, aliquid agis; nam, si nihil agis, quomodo ille adjuvat?”

3<sup>o</sup>. Ex *¶* 16. cum s. Augustino <sup>3)</sup> inferes: „Perfecta ergo charitas haec est, si quis tantam habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo charitas. Sed numquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficitur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Optabam dissolvi, et esse cum Christo, multo magis optimum: manere in carne, necessarium propter vos. <sup>4)</sup>

4<sup>o</sup>. In *¶* 17. „Ecce — ait idem ibidem — unde incipit charitas. Si nondum es idoneus mori pro fratre, jam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Jam percutiat viscera tua charitas; ut non de jactantia facias, sed de intimo adipe misericordiae ut consideres illum in egestate positum. Si enim superflua non potes dare fratri tuo, animam tuam potes dare pro fratre? Jacet pecunia in sinu tuo, quam tibi fures possunt auferre; et, si illam non auferent fures, moriendo illam deseres, etiam si te illa viventem non deserat. Quid inde facturus es? Esurit frater tuus, in necessitate positus est, fortassis . . a creditore angustatur. Non habet ipse; habes tu. Frater est, simul empti estis,

<sup>1)</sup> *L. c. n. 7.*

<sup>2)</sup> *XXVI. 9.*

<sup>3)</sup> *In h. l. Tract. V.*

<sup>4)</sup> *cfr. ad Philip. I. 21.-24.*

„ unum est pretium vestrum, ambo sanguine Christi redempti estis. Vide si misereris, si habes facultatem mundi. Quid ad me pertinet, forte dicis? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiat? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo ergo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, et factum non habes. . . Si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur? ” *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Locus igitur hic dilucide praeceptum eleemosynae probat. 1)*

5<sup>o</sup>. In  $\text{v.}$  22. „ Sancti per omnia. . . semper exaudiuntur *ad salutem aeternam*, non *ad voluntatem* ” aliquam particularem, uti pulchre s. Augustinus declarat 2) exemplo B. Pauli, qui ter Dominum rogavit ut discederet a se stimulus carnis. 3) „ Ecce, inquit, non est exauditus ut auferretur ab illo angelus satanae. Sed quare? Quia non ei proderat. Ergo *exauditus est ad salutem, qui non est exauditus ad voluntatem.* ”

6<sup>o</sup>. In  $\text{v.}$  23. 24. notetur fidei et charitatis conjunctio, et mandatorum observatio. *Nam in Christo Jesu adultis ad salutem reipsa obtinendam solum valet fides, quae per charitatem operatur.* 4) Haec legis Christianae summa: credere, et diligere opere et veritate, servare mandata.

## CAPUT IV.

De fide et charitate, quae conjungi semper debent, iterum agit.

I. Quoad *fidem*, imprimis monet, non temere cujuslibet doctrinae credendum, sed probandum utrum ex Deo sit: quoniam multi pseudo-prophetae exierunt in mundum  $\text{v.}$  1. Dein duo ponit criteria, quibus hi discernantur:

1<sup>um</sup>. Attendantur, utrum traditam Christi incarnationem do-

1) cfr. Dens, *De virt. charit.* n. 144.

2) *In h. l.* Tract. VI.

3) II. *ad Cor.* XII. 7.-9.

4) *Ad Gal.* V. 6.

ceant; an autem Christum solvant, tollendo Ejus sive divinitatem sive humanitatem. Hoc in casu Antichristi sunt, quem vos, Dei gratia adjuti et in vera fide confortati, vicistis  $\text{v.}$  2.-4.

2<sup>um</sup>. Pseudo-doctores de mundo sunt, et quae iis suggerit mundus loquuntur; tradunt principia mundana, mundo grata et accepta, et ideo mundus eos audit  $\text{v.}$  5.

Nos autem Apostoli ex Deo sumus missi et praedicamus quae Deus revelavit, nominatim charitatem proximi, quae ex Deo est. Criterion igitur generale et supremum, quo dignoscitur spiritus veritatis, et spiritus erroris, est divina missio, legitima docendi auctoritas, ob quam qui vere novit Deum, audit nos; qui autem non est ex Deo, non audit nos  $\text{v.}$  6. 7.

### PARS 3<sup>a</sup>.

II. Principii instar posito: *quoniam Deus charitas est*  $\text{v.}$  8., charitatem iterum quinque motivis commendat.

1<sup>um</sup>. est excellentia hujus virtutis; quippe *charitas* divinae originis, *ex Deo est*, et indicium adoptionis in filium Dei, et cognitionis Dei  $\text{v.}$  7. 8.

2<sup>um</sup>. Exemplum Dei, qui ipse prior dilexit nos, et Filium suum unigenitum dedit pro salute nostra  $\text{v.}$  9. 10., amore proximi imitandum  $\text{v.}$  11.

3<sup>um</sup>. Effectus, quos charitas proximi in nobis profert, utputa

a). Dei invisibilis in nobis mansionem, charitatis ejus in nobis perfectionem  $\text{v.}$  12.

b). Intimam persuasionem nos in Deo manere, et Deum in nobis; ipsa namque charitas proximi signum est, quoniam de spiritu suo charitatis dedit nobis  $\text{v.}$  13.

Quo evincat, imprimis requiri veram de Christo fidem ut quis veram cum Deo unionem, veramque charitatem habere possit, obiter, sed gravissime contra pseudo-prophetas, qui Christum solvunt ( $\text{v.}$  3.), iterum suo et aliorum Apostolorum testimonio oculato confirmat, quod Pater misit Filium suum salvatorem mundi, atque profitetur suam et scientiam et fidem tantae Dei charitatis erga nos miseros homines  $\text{v.}$  14.-16.



c). Charitas perfecta fiduciam nobis conciliat in die iudicii, quia Dei charitatem in hoc mundo imitati sumus  $\text{v.}$  17.; adeoque et in die iudicii <sup>1)</sup> foras mittit timorem, qui cum charitate perfecta non consistit, et poenam habet  $\text{v.}$  18.

4<sup>um</sup>. Consequens obligatio reciproca, ut nos *diligamus Deum*, quoniam Deus prior dilexit nos  $\text{v.}$  19., quae absque dilectione proximi nec facile nec simpliciter adimplebitur. Si quis dixerit, hanc obligationem adimpleo, *diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est*, sibi ipsi imponit. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?  $\text{v.}$  20.

5<sup>um</sup>. Positivum Dei mandatum: *Et hoc mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum*  $\text{v.}$  21.

*Nota.*

1<sup>o</sup>. Ex  $\text{v.}$  1. perperam Protestantes colligunt, examen doctrinarum, et iudicium controversiarum fidei, ad quosvis Christianos pertinere et ex Scripturis spiritu privato faciendum esse. Etenim ipse s. Joannes  $\text{v.}$  6. tradit regulam universalem unice omnibus accommodatam, qua vera doctrina a falsa, magistri erroris et doctores veritatis discernantur. Haec autem regula in eo consistit quod quisquis vere Christifidelis est audit, obedienterque suscipit doctrinam quam Apostoli, eorumque legitimi successores tradiderunt. Verbo: legitima est auctoritas Ecclesiae docentis, quam qui novit Deum audit; qui autem non est ex Deo, non audit. Spiritus igitur haereticorum, nominatim Lutheri et Calvini est spiritus erroris.

2<sup>o</sup>. In  $\text{v.}$  20. Vim hujus argumenti dilucide s. Thomas <sup>2)</sup> explicat, „dicendum, inquit, quod dupliciter est aliquid causa dilectionis. „Uno modo, sicut id quod est ratio diligendi; et hoc modo bonum „est causa diligendi, quia unumquodque diligitur in quantum habet „rationem boni. Alio modo, quia est via quaedam ad acquirendam „dilectionem; et hoc modo visio est causa dilectionis, non quidem ita quod ea ratione sit aliquid diligibile, quia est visibile, „sed quia per visionem ducimur ad dilectionem. Non ergo oportet

<sup>1)</sup> Hanc acceptionem contextus probat. cfr. Serarius et s. Augustinus, Tract IX. in *h. l.*

<sup>2)</sup> *Sum. Theol.* 2. 2. Q. XXVI. art. II. ad Ium.

„quod illud quod est magis visibile, sit magis diligibile, *sed quòd prius occurrat nobis ad diligendum.* Et hoc modo argumentatur „Apostolus. Proximus enim quia est nobis magis visibilis, primo „occurrit nobis diligendus. Ex his enim quae novit animus, discit „incognita amare, ut Gregorius dicit in quadam homilia. <sup>1)</sup> *Unde „si aliquis proximum non diligit, argui potest, quod nec Deum diligit; non propter hoc quod proximus sit magis diligibilis, sed „QUIA PRIUS DILIGENDUS OCCURRIT; Deus autem est magis diligibilis propter majorem bonitatem.*”

## CAPUT V.

Eadem duo, *fidem nimirum et charitatem* adhuc persequitur ita, ut hìc praesertim exponat fructus ac effectus fidei, quae per charitatem operatur.

1<sup>o</sup>. Fides formata, seu, viva in Jesum ut Christum Dei Filium facit nos filios Dei adoptivos, et, ut diligamus Deum tamquam Patrem nostrum, et hinc etiam fideles ut fratres, pari modo spiritualiter ex Patre natos ¶. 1. Addit Apostolus dilectionis hujus in nobis cognoscendae signum, idque est ipsa Dei dilectio; et hujus rursum signum est ipsa mandatorum Dei observatio ¶. 2. 3., ad quam invitat, quia ea gratia non sunt ¶. 3.

2<sup>o</sup>. Fides ista nobis tribuit victoriam de mundo ¶. 4. 5. Ipsa autem innititur testimoniis certissimis. Etenim

a). Jesus ipse est ille Christus, Filius Dei, qui praedictus erat venturus, et revera venit in aqua et sanguine.

b). *Et spiritus testificatur, quoniam Christus est veritas* ¶. 6.

c). De Ejus vera divinitate et humanitate *tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt* ¶. 7.

d). *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres consensu unum sunt* ¶. 8.

Porro vim hujus testimonii declarat tripliciter: a minore

<sup>1)</sup> XI. in *Evang.* lect. 7. in com. non Virg.

ad majus *ŷ*. 9. *ŷ* a cognitione et certitudine, et demum ab injuria, qua Deum afficit qui Filio ejus non credit; hic enim ipsum Deum mendacem facit *ŷ*. 10.

Testimonium vero istud — ut ab initio innui — etiam est de effectis ipsius Filii Dei, atque adeo ipsius quoque fidei vi-vae in Ipsum.

3<sup>o</sup>. Fides igitur ista dat jus ad vitam aeternam, quae per Filium Dei nobis data est nunc *in spe*, postea *in re* *ŷ*. 11.-13.

4<sup>o</sup>. Fiduciam, imo certitudinem *interpretandi quodcumque*, secundum voluntatem ejus, petierimus *ŷ*. 14. 15., etiam pro conversione proximi, si hujus peccatum non sit ad mortem; duplex enim peccati genus est, *ad mortem*, et *non ad mortem*. Jam vero, patior quidem, imo et probō, vos pro peccatoribus omnibus orare; sed, non dico ut pro illo peccato ad mortem condonando oret quis tamquam certo exaudiendus. Omnis iniquitas quidem peccatum est; sed est et peccatum ad mortem *ŷ*. 14.-17.

5<sup>o</sup>. Immunem reddit et praemunit adversus peccatum, quatenus et quia gratia per spiritualem generationem accepta conservat nos, et malignus non tangit nos *ŷ*. 18.

6<sup>o</sup>. Praebet conscientiam divinae indolis, et discrepantiam a mundo, qui totus in maligno positus est *ŷ* 19.

7<sup>o</sup>. Denique dat cognitionem incarnationis Filii Dei, qui dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus, qui est verus Deus, et vita aeterna; adeoque et donum eundem dignoscendi a falsis diis, ac vita non vere beata *ŷ*. 20. Quapropter concludit: Filioli, custodite vos a simulacris, sive, idolis. Amen *ŷ*. 21.

*Nota.*

1<sup>o</sup>. In *ŷ*. 1. quaerit s. Augustinus <sup>1)</sup>: „Quis est qui non credit quod Jesus est Christus?” Et *practice* respondet: „Qui non sic vivit quomodo praecepit Christus. Multi enim dicunt, Credo; sed fides sine operibus non salvat. Opus autem fidei ipsa dilectio

<sup>1)</sup> *In h. l. Tract. X. n. 1.*

„est, dicente Paulo Apostolo: et fides quae per dilectionem operatur. . . Salvemur ab Ipso, ambulemus per Ipsum. Hoc est credere quod Jesus est Christus, quomodo credunt Christiani, qui non solum nomine Christiani sunt, sed factis et vita.” Consonat s. Bernardus <sup>1)</sup> „Putasne, inquires, Filium Dei reputat Jesum, quisquis ille est homo, qui Ipsius nec terretur comminationibus, nec atrahitur promissionibus, nec praeceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is, etiamsi fateatur se nosse Deum, factis tamen negat? Porro *fides sine operibus mortua est in semetipsa.* <sup>2)</sup>

2<sup>o</sup>. In *ŷ.* 3. Charitas Dei *practice* consistit in observantia mandatorum ejus.

3<sup>o</sup>. Ejusdem loci verbis his: *et mandata ejus gravia non sunt*, refellitur haeresis, mandata Dei vel justis, volentibus et conantibus, esse observatu impossibilia. Quam haeresin veterum Protestantium damnavit Tridentinum <sup>3)</sup>, et Jansenistarum Innocentius X. <sup>4)</sup>

4<sup>o</sup>. *ŷ.* 7. certo canonicus et authenticus est <sup>5)</sup>, et explicitum testimonium, et plena demonstratio dogmatis SS. Trinitatis.

5<sup>o</sup>. *ŷ.* 16. Novatiani abutebantur, contententes hinc doceri, dari peccatum etiam per veram poenitentiam irremissibile. Deus enim omnes homines vult salvos fieri <sup>6)</sup>, Eique acceptum orationes fieri pro omnibus hominibus, ne flagitiosissimo quidem et quantumvis obdurato excepto, quamdiu aliqua spes salutis superest. Quae etiam mens est s. Joannis, et sensus ejusdem verborum: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* Quare bene s. Augustinus <sup>7)</sup> „Nec pro illis imprudenter oratur, de quibus non desperatur.”

<sup>1)</sup> In octava Paschae, Sermo I. *De fide vincente, et de tribus testimoniis in coelo et in terra*, n. 3.

<sup>2)</sup> cfr. *Jac.* cap. II. *ŷ.* 17. 26.

<sup>3)</sup> Sess. VI. *De Justif.* cap. XI. et can. XVIII.

<sup>4)</sup> Vide Dens, *Tract de gratia* n. 24.

<sup>5)</sup> cfr. *Introd. in s. Script.* n. 118., et *Scholion* 2<sup>um</sup>. ad n. 139.

<sup>6)</sup> *I ad Tim.* II. 1-6.

<sup>7)</sup> *Lib. I. Retructation.* cap. XIX.

Epistola B. Joannis Apostoli  
secunda.

I. Certo authentica, genuina <sup>1)</sup>, et deutero-canonica est.

II. Inscribitur *Electae Dominae*  $\text{v}^{\circ}$ . 1.; sed multum disputatur de sensu horum verborum. Imprimis, utrum hac inscriptione intelligenda sit 1<sup>o</sup>. Ecclesia aliqua christiana, metaphoricè hoc nomine designata, quod s. Hieronymo <sup>2)</sup> placuisse dicitur, et verisimilius videtur cl. Serario <sup>3)</sup>, Drach <sup>4)</sup>, Steenkiste <sup>5)</sup>, aliis. Hujus opinionis patroni inter se insuper disputant: *Quaenam* fuerit Ecclesia, cui missa sit haec epistola? *Aliis* videtur intelligenda Ecclesia *Corinthiaca*. — *Aliis* v. g. Drach, Steenkiste, una ex illis septem, de quibus *Apocalypsis* cap. I.-III., quae sunt in Asia proconsulari, *ibid.* cap. I.  $\text{v}^{\circ}$ . 4. 11. — Denique *aliis*, quos inter cl. P. Secchi S. J. <sup>6)</sup>, *Romana*. (cfr. I. Petr.  $\text{v}^{\circ}$ . 13.)

Utrum vero 2<sup>o</sup>. femina aliqua illustris, quod opinantur et tenent Clemens Alex. <sup>7)</sup>, Cornelius a Lapide, Bartholomaeus Petrus continuator Estii <sup>8)</sup>, Marchini <sup>9)</sup>, Ill<sup>mus</sup> Beelen <sup>10)</sup>, Ubaldi <sup>11)</sup>, alii.

Similiter autem hujus opinionis patroni inter se litigant, utrum, et quodnam hujus matronae hìc indicetur nomen proprium. Sunt enim qui censeant illius nomen proprium fuisse „Electa”, cui acceptioni favet quod in Vulgata id nomen littera capitali exprimitur. — *Alii* autem, quod graece legitur ἐκλεκτῆ Κυρία, *Kyria*, sive, *Cyria* ut nomen illius proprium habent, et *electa*, ut adjectivum. Demum *alii* utrumque nomen accipiunt ceu appellativum, sive, commune,

<sup>1)</sup> Consule Ubaldi T. I. Th. V. a p. 170.-179.; Drach., *Préface* §. 1.

<sup>2)</sup> Epist. XL., *ad Gerontiam* (alii legunt: *Ageruchiam*, alii aliter) „*In veterè vita*”, in qua habet: „Ad quam (intellige, inquit, Ecclesiam)”, scribit idem Joannes epistolam: Senior electae dominae, et filii ejus.”

<sup>3)</sup> In h. epist. *Prolegom.* IV.

<sup>4)</sup> *L. c.* §. 2. n. 1.

<sup>5)</sup> *Introd. in epistolas Joan.* §. 2.

<sup>6)</sup> In opusculo: *Argomenti biblici del primato cattolico etc., tratti dalle prime due lettere dell' apostolo s. Giovanni*. Roma 1846.

<sup>7)</sup> *Adumbr. in II. Joan.*

<sup>8)</sup> *In h. l.*

<sup>9)</sup> *De divinit. etc. s. Lib. part. II. art. X.*

<sup>10)</sup> *In h. l.*

<sup>11)</sup> *L. c.* p. 179.

ut adeo nomen proprium ipsius matronae non fuerit expressum, sed tantum titulus honoris.

Rationes in utramque partem vel referre longum, et vix operae pretium est, quum res conjecturâ judicari, sciri vix possit.

III. *Occasio* fuit gaudium, quo Apostolus affectus est eo quod invenit de filiis Electae ambulantes in veritate v. 4.

IV. *Scopus et argumentum* est, Electam ejusque filios hortari ut constantes perseverent in charitate et veritate, atque idcirco vitent pseudo-doctores, seductores.

V. *Tempus et locus* scriptiois certo definiri nequeunt. Interim communior opinio habet, scriptam esse *Ephesi*, post reditum ab exilio ex insula Pathmo.

#### EPISTOLAE ANALYSIS.

In *exordio* Joannes Electae dominae, hujusque filiis contestatur amorem suum et omnium fidelium v. 1., ob communionem et perseverantiam in una vera Christi doctrina v. 2., eique gratiam, misericordiam et pacem apprecatur v. 3.

In epistolae *corpore* 1°. profitetur gaudium quo repletus fuit, quoniam invenit de filiis Electae ambulantes in veritate, secundum mandatum Domini v. 4.

2°. Commendat charitatem v. 5, quae in mandatorum observantia posita dicitur v. 6.

3°. Adhortatur ad perseverantiam in accepta fidei doctrina triplici argumento :

a). A periculo, quod illis imminet a seductoribus, quorum errorem et characterem detegit v. 7. et quibuscum idcirco communionem dissuadet v. 10. 11.

b). Ne perdant merita quae jam per bona opera comparant, sed mercedem plenam accipiant v. 8.

c). A poena amittendi Deum constituta omnibus, qui non permanent in doctrina Christi; et contra a praemio perseverantibus in illa promisso v. 9.

In *epilogo* excusat epistolae breviter, facit spem proximi sui ad eos adventus v. 12., et salutem Electae dicit nomine filiorum sororis ejus v. 13.

*Nota.*

1<sup>o</sup>. ¶. 1.-4. descriptos habemus vere christianae dilectionis, quin et amicitiae characteres.

1<sup>us</sup>. , isque fundamentalis, character est, quod innotuit in veritate Evangelica, in vera fide. Electae dominae, et natis ejus, quos ego diligo IN VERITATE. Hinc nulla vera amicitia est nisi christiana; nisi inter sic dictos amicos adsit consensus non tantum in rebus humanis, sed maxime in divinis, in una vera fide Romano-catholica. Quod pulcherrime s. Augustinus <sup>1)</sup> declarat, quum Martiano veteri amico gratulatur, quod catechumenus sit factus, illumque hortatur ut Baptismum accipiat et Eucharistiam. Locum, etsi longum, maxima parte referre non piget, quia non tantum valet adversus amicitias mundanas ac carnales, sed a fortiori adversum matrimonia mixtae religionis apte urgeri potest. Itaque „Abripui, inquit, „vel potius obripui, et quodammodo furatus sum memetipsum multis occupationibus meis, ut tibi scriberem antiquissimo amico, „*quem tamen non habebam quamdiu in Christo non tenebam.* Nosti „quippe ut definierint amicitiam Romani. Ut ait quidam, maximus auctor Tullius eloquii. Dixit enim et verissime dixit: Amicitia est rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et „charitate consensus. Tu autem mi charissime *aliquando mihi consentiebas in rebus humanis*, cum eis more vulgi frui cuperem, et „mihi *ad ea capessenda quorum me poenitet favendo velificabas*, imo „vero vela cupiditatum mearum cum ceteris tunc dilectoribus meis „inter praecipuos aura laudis inflabas. Porro in *rebus divinis*, quarum mihi illo tempore nulla luxerat veritas, *utique in majore illius definitionis parte nostra amicitia claudicabat.* Erat enim rerum tantummodo humanarum, non etiam divinarum, quamvis „cum benevolentia et charitate, consensus. Et posteaquam illa „cupere destiti, perseverante quidem benevolentia, salvum me „esse cupiebas salute mortali, et ea rerum prosperitate felicem, „quam mundus optare consuevit. Etiam sic itaque *aliquantum* tibi „erat mecum rerum humanarum benevola et chara consensus. Nunc „vero quantum de te gaudeo quibus explicem verbis, quando eum „quem QUOQUO MODO *habui diu amicum, habeo jam VERUM amicum.* „*Accessit enim etiam rerum consensus DIVINARUM*, quoniam qui me-

<sup>1)</sup> *Epist.* CLV. „Domino merito suscipiendo.”

„cum temporalem vitam quondam jucundissima benignitate duxisti, nunc spe vitae aeternae mecum esse coepisti. Modo vero etiam de rebus humanis inter nos nulla dissensio est, qui eas rerum divinarum cognitione pensamus; ne plus eis tribuamus, quam modus earum justissimus postulat; nec eas in aliquo contemptu abjiciendo, creatori earum, Domino rerum coelestium atque terrestrium, faciamus injuriam. *Ita fit ut inter quos amicos non est rerum consensio divinarum, nec humanarum plena esse possit ac vera. Necesse est enim ut aliter quam oportet humana aestimet, qui divina contemnit, nec hominem recte diligere noverit, quisquis Eum non diligit qui hominem fecit.* Proinde non dico nunc mihi plenius amicus es qui eras ex parte, sed quantum ratio indicat, nec ex parte eras, quando nec in rebus humanis mecum amicitiam *veram* tenebas. Rerum quippe divinarum ex quibus recte humana pensantur, socius mihi nondum eras, sive quando nec ipse in eis eram, sive postea quam ego eas utcumque sapere coepi, a quibus tu longe abhorrebas.” etc. etc. Nam, tametsi et reliqua ejusdem epistolae pars lectu sit dignissima, summam complectar cum eodem s. Augustino <sup>1)</sup> dicente: „*Nemo enim potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis.*”

2<sup>us</sup>. Vera dilectio universalis est ex parte objecti; supernaturalis ex parte motivi.

Imprimis Christianos omnes toto orbe diffusos complectitur, et connectit. Quos, inquit Apostolus *ibid.*, *ego diligo in veritate, et non ego solus, sed ET OMNES, QUI COGNOVERUNT VERITATEM, PROPTER VERITATEM* ¶. 2. Itaque non pensanda est temporalibus commodis, sed gratuito amore potiunda *propter veritatem*, propter Deum. „Illum, inquit semper idem magnus Ecclesiae Doctor, s. Augustinus <sup>2)</sup>, „Illum (Dominum) amemus propter ipsum, et nos in ipso, tamen propter ipsum. Ille enim veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut *ut sit in illo* <sup>3)</sup>. Haec est vera dilectio; propter aliud si nos diligimus, oderimus potius, quam diligimus.”

3<sup>ius</sup>. Sola amicitia christiana constans est, perseverans, aeterna.

<sup>1)</sup> *Epist. LIII. ad Macedonium „Quamvis sapientiam.”*

<sup>2)</sup> *De Temp. Serm. CCLVI. „Celebritas hujus congregationis.”*

<sup>3)</sup> Ut Deus sit in omnibus, et omnes in Illo, nullus Catholicus non optat et orat. Ergo vere universalis est vera dilectio christiana.



Consequitur haec proprietas ex ante positis. Amicitia namque christiana, ex dictis, fundatur non in bonis perituris, sed in ipsa veritate, quae ex Deo atque et ipsa constans est et immutabilis. *Propter veritatem, quae* — ita prosequitur Apostolus charitatis — *permanet in nobis, et nobiscum erit in aeternum* ¶. 2. Et iterum s. Augustinus 1) „*Amicitia . . . nusquam nisi in Christo fidelis est, in quo solo esse etiam sempiterna ac felix potest.*”

4<sup>us</sup>. Vera, christiana amicitia amicis suis bona desiderat imprimis et ultimam sola spiritualia, coelestia, aeterna; non mere temporalia, corporalia, sed haec tantum quantum ad aeternam salutem conducere possunt. Quid enim Apostolus adprecatur suis? *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et a Christo Jesu Filio Patris in veritate, et charitate* ¶. 3. „Optare alicui salutem temporalem, bonum est, inquit idem s. Pater 2), sed etsi desit, anima tuta sit. Si optas alicui amico tuo vitam, bene agis . . . sed forte amico tuo vita illa quam optas inutilis est. — Incertum est utrum alicui sit utilis vita ista, an inutilis; vita vero quae est apud Deum, sine dubio utilis est.” Hinc

5<sup>us</sup>. Amicitia christiana prae ceteris et magis de spirituali profectu quam de prosperitate temporali amicorum gaudet et gratulatur. *Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre* ¶. 4.

Nota 2<sup>o</sup>. Ex ¶. 8. confirmatur meritum bonorum operum.

3<sup>o</sup>. Ut ut parva epistola haec quam aptissima est concioni de perseverantia, habendae puta ad finem Missionis, Jubilaci, Secesus Sacri, Dom. in Albis etc.

*Propositio* esse poterit: *Videte vosmetipsos! . . . Quales antehac! . . . Quam in praesentiarum felices! Multa bona opera praestitistis . . . Vos diligo propter veritatem. Sed vel ideo ut haec permaneat in vobis, et sit in aeternum, cum Apostolo repetere non desinam: videte vosmetipsos.*

*Confirmatio*. Enimvero imminent

a). Nova pericula. *Quoniam multi seductores exierunt in mundum* ¶. 7. . . .

1) *Contra duas epist. Pelagianor.* ad Bonifacium Papam, lib. I. cap. I. „*Noveram te quidem.*”

2) *Exposit. in I. Epist. Joan.* Tract. I.

b). *Videte vosmetipsos, NE PERDatis quae operati estis: sed*

c). *Ut mercedem plenam accipiat* v. 8.

Etenim d). *Omnis, qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.* Contra

e). *Qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet* v. 9.

*Conclusio.* Itaque *videte vosmetipsos.* Nolite pristinos seductores in domum recipere — fugite occasiones proximas; libros dico irreligiosos, socios pravos etc. etc. ne communicetis amplius operibus eorum malignis; sed ambuletis secundum mandatum Domini . . . *ut gaudium vestrum plenum sit* quantum quidem in hac vita datur mortalibus, ex ea quae vobiscum sit gratia, misericordia, et pax a Deo Patre, et a Christo Jesu Filio Patris, in veritate, et charitate perpetua in saecula saeculorum. Amen.

## Epistola B. Joannis Apostoli

### tertia.

I. Certo genuina, authentica, deutero-canonica est. <sup>1)</sup>

II. Inscríbítur Gaio v. 1. Praeter ea, quae hic s. Joannes de eo tradit, nihil de eo certe affirmare possumus; nisi — quod nonnulli opinantur — forte sit unus ex iis, qui Paulo Apostolo familiares fuisse dicuntur *Act. XIX. 29. XX. 4.*; ad *Rom. XVI. 23.*; I. ad *Cor. I. 14.*

Pariter ceterum nihil certi de Diotrephe, nec de Demetrio, v. 9. 12. memoratis, affirmari potest.

III. Occasio scribendi hanc epistolam Apostolo fuere laeti nuntii, quos fratres de vivendi ratione Gaii pertulerunt v. 3. 6.

IV. Scopus est Gaium hortari ut in bono perseveret, nominatim in operibus misericordiae erga fratres ob causam Christi peregrinos, et ne moveatur opposito pravo exemplo Diotrephe.

V. Eodem tempore et loco scripta reputatur quo epistola secunda.

#### EPISTOLAE ANALYSIS.

In *exordio* Apostolus suum erga Gaium testificatur amorem v. 1., eique prosperitatem non modo spiritualem sed et corporalem apprecatur v. 2.

<sup>1)</sup> cfr. Auct. ad *h. l.* laudati, ubi de 2<sup>ae</sup> epist. genuinitate etc.

In epistolae *argumento* 1<sup>o</sup>. profitetur gaudium, quo perfusus fuit ex fratribus advenis, testantibus Gaii verae fidei prorsus consonam conversationem v. 3. 4., quam amplificat ab hospitalitate et charitatis officiis, quae ab eo sibi exhibita publice testati sunt peregre profecti ob causam Christi v. 6. 7. Hortatur ut eadem ratione pergat iis benefacere digne Deo, ideo quod pro nomine ejus laborant, et ut hac via particeps sit eorumdem laborum pro causa Christi v. 6.-8.

2<sup>o</sup>. Indicat quae, cum venerit, carpet, vitia Deotrepbes, neutiquam a Gaio imitanda; ejus sc. ambitionem et in fideles dominandi pruritus, malevolentiam in se Apostolum; duritiam in peregrinos, et saevitiam in horum hospites v. 9.-11.

3<sup>o</sup>. Commendat Demetrii probitatem, fideliū, veritatis, et suo testimonio confirmatam v. 12.

In *epilogo* excusat epistolae brevitate in copia dicendorum v. 13., sperans fore ut protinus Gaium invisere possit; interim eidem pacem apprecatur, salutem dicit ab amicis, et jubet ut salutet amicos nominatim v. 14.

*Nota.*

1<sup>o</sup>. In v. 2. Ad normam s. Joannis rite oramus pro amicorum incolumitate, et prosperitate in omnibus negotiis, quatenus haec instrumenta virtutum, et ad aeternam salutem adjumenta esse possunt. *Charissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, et valere, sicut prospere agit anima tua.*

2<sup>o</sup>. In v. 3. 4. Ad exemplar B. Joannis Apostoli quicumque, cui cura animarum concredita est, de bono statu, et profectu suorum plus quam de omnibus mundi bonis gaudeat. *Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Vox haec vere Apostolica. Eodem sensu B. Paulus Thessalonicensis dicebat <sup>1)</sup>, *consolati sumus fratres in vobis in omni necessitate, et tribulatione nostra per fidem vestram, quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino.*

3<sup>o</sup>. In v. 7. 8. Qui pro causa Christi, pro catholica fide et justitia ex patria expulsi, aut ad fugam compulsi, qui ideo bono-

<sup>1)</sup> I ad Thess. III. 7. 8.

rum suorum jacturam passi sunt, et ab inimicis Dei et Ecclesiae non solum nihil accipere voluerunt, sed pensiones et canones perdere maluerunt quam fidem suam prodere, cum gaudio a nobis suscipiendi sunt et digne Deo deducendi, omnique solatio ac subsidio recreandi ac fovendi.

Praecipue autem erga operarios Evangelicos, Missionarios, exercenda sunt caritatis officia, ut laborum, quos pro fidei pietatisque christianae propagatione suscipiunt, participes simus, et cum illis in communionem meritorum et coronarum veniamus. Appositus certe locus hic est, quo fidelibus commendetur sodalitas *Propagationis Fidei, Sanctae Infantiae* etc. Quando his piis operibus eleemosynam tribuimus, cooperatores sumus et participes Missionariorum, qui *pro nomine Dei* et D. N. J. Christi *profecti sunt*, et auxilio nostro indigent, *nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis.* B. Joannes manifesto Spiritu Christi actus, haec quippe veluti e pectore, et e corde ipsius Christi Domini hausit. Quandoquidem jam pridem ipse Christus Dominus dixerat <sup>1)</sup> *Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*

## Epistola catholica

### B. Judae Apostoli.

I. Est authentica <sup>2)</sup>, et deutero-canonica. <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> *Matth.* X. 40.-42.

<sup>2)</sup> Quod est contra Grotium, qui *Adnot. in ep. Judae* contendit, non Judam Apostolum, sed alium ejusdem nominis Episcopum Hierosolymitanum, qui Hadriani temporibus floruit, eam epistolam scripsisse; verba autem illa „*frater autem Jacobi*”, aliena manu adjecta fuisse ad auctoritatem epistolae conciliandam, cum auctor se dumtaxat *Judam J. C. servum* appellasset.

<sup>3)</sup> Quod est contra Lutherum. — Consule Serarium, *Proleg.* II.; Drach, §§. I. II.; Ubaldi, *T. I.* a p. 180.-186.

Inspiratus igitur hujus epistolae auctor est s. Judas, Apostolus J. C., frater Jacobi minoris; unde s. Lucas <sup>1)</sup> eum *Judam Jacobi* appellat; et apud Matthaeum <sup>2)</sup> ac Marcum <sup>3)</sup> recensetur inter *fratres*, i. e., consobrinos Domini. Porro a Marco <sup>4)</sup> compellatur *Thaddaeus*, et item a Matthaeo <sup>5)</sup> in Vulgata, in graeco autem textu *Lebbaeus* (Λεββαῖος), i. e. Judas, qui cordi est, verbo: charus, dilectus est, <sup>6)</sup> et ita a Juda proditore distinguitur.

II. Inscribitur *his, qui sunt in Deo Patre dilectis, et Christo Jesu conservatis, et vocatis* ϕ. 2. Ad quos vero fideles nominatim et proxime data fuerit, ignoratur. Ex magna autem similitudine, quam cum 2<sup>a</sup>. B. Petri epistola gerit, conjicitur, eosdem fuisse ac ad quos scripsit Apostolorum princeps. Cfr. ϕ. 17.

III. Occasio et causa fuit perpetuo ingravescens periculum, quod fidei et moribus fidelium struebant pseudo-doctores jam pridem praedicti ϕ. 3. 4.

IV. Scopus hinc est hortari fideles ad constantiam in fide tradita, et ad bonorum operum studium.

V. Tempus. Scripta communius habetur sub initio pontificatus s. Lini, successoris B. Petri, circa annum aerae vulgaris 70. <sup>7)</sup>

VI. Locus prorsus incertus est.

VII. Stylus vividus est et fortis.

## ANALYSIS.

In exordio Apostolus vocatis ad fidem optat misericordiae, pacis et charitatis complementum ϕ. 1. 2.; et declarat causam quare ad eos scribat. Jam dudum, inquit, magna mihi sollicitudo erat scribendi vobis de communi salute, nunc etiam accessit necessitas ex periculo fidei, quod pseudo-doctores, jam olim praenunciati, et nunc clanculum introgressi suscitant ϕ. 3. 4.

<sup>1)</sup> cap. VI. ϕ. 16.

<sup>2)</sup> XIII. 55.

<sup>3)</sup> VI. 3.

<sup>4)</sup> III. 18.

<sup>5)</sup> X. 3.

<sup>6)</sup> Ita Drach *l. c.*

<sup>7)</sup> Drach, §. III. n. 3.; *Comp. H. E.*, ep. I. n. 47. et Estius in *Praef. explicans argum. epistolae.*

In corpore epistolae, ut fideles hortetur ad constantiam in fide una et immutabili semel pro semper tradita ƴ. 37, imprimis proprios pseudo-doctorum describit characteres.

1<sup>o</sup>. Impii sunt, utpote qui gratiam evangelicam in occasionem vertunt indulgendi luxuriae, et solum Dominatorem, et D. N. J. C. negant ƴ. 4.

2<sup>o</sup>. Praefigurati sunt ipsi — et poenae quae eos manent —

a). in rebellionem Judaeorum, qui ob incredulitatem in deserto occisi sunt ƴ. 5.

b). In apostasia Angelorum, qui ob peccatum ex coelo ad infernum dejecti sunt ƴ. 6.

c). In luxuria incolarum Sodomae etc.; verbo: Pentapolitarum, qui igne exusti facti sunt exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes ƴ. 7.

Quamvis enim exempla haec prae oculis habeant,

3<sup>o</sup>. *similiter tamen et hi pseudo-doctores carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant* ƴ. 8. Quod namque ad blasphemiae insolentiam attinet, eos ne remoratur quidem modestia Michaëlis Archangeli, qui cum ipso diabolo disputans et altercans de corpore Moysis, non est ausus ei judicium inferre blasphematorium, maledicum, quamvis id jure posset; sed simpliciter dixit: *Imperet tibi Dominus* ƴ. 9. Hi autem et majestatem et quaecumque quidem ignorant, blasphemant. — Quam turpiter porro carnem maculent, atque toti immersi sint in carnalibus, ex eo patet, quod *quaecumque autem naturaliter*, natura duce, sive, per naturam animalem *norunt, in his corrumpuntur* ƴ. 10.

4<sup>o</sup>. Imitantur scelera Cain, Balaam et Core, atque eapropter et illis vae imminet ƴ. 11.

5<sup>o</sup>. Intemperantes et egoistae sunt in epulis, in vita leves ac inutiles, similes nubibus sine aqua, quae a ventis circumferuntur et arboribus infructuosis etc. ƴ. 12.; imo perniciosi sunt; sicut enim fluctus maris tempestate agitati ex imo despumant lutum et sordes; sic isti per libidinem et malitiam externam pudenda cordis sui desideria produunt, *despumantes*

*suas confusiones.* Porro sicut <sup>4</sup>sidera errantia a via sua, non nisi perturbationem aut ruinam afferunt; sic isti a via veritatis et sanctitatis aberrantes mala quaevis circumquaque efficiunt; quapropter procella tenebrarum iis servata est in aeternum  $\text{v.}$  13. Poenam hanc jam pridem praedixit Enoch, praedicans extremum iudicium, quod Dominus contra impios de omnibus operibus eorum malis et nominatim de blasphemiiis instituet  $\text{v.}$  14. 15.

6<sup>o</sup>. *Sunt murmuratores querulosi*, quia *secundum desideria sua ambulant*; de se suisque loquuntur superba; et viles adulatorum sunt, *mirantur personas*, divites et potentes, *quaestus causa*  $\text{v.}$  16.

7<sup>o</sup>. Denique, quemadmodum ab Apostolis D. N. J. C. praedicti sunt venturi illusores, hi sunt segreges ab Ecclesia; factiones, schismata, haereses excitant; *animales*, toti immersi in rebus sensibilibus, carnalibus, proinde *Spiritum Sanctum non habentes*  $\text{v.}$  17.-19.

Posthaec directo adhortatur fideles, ut

1<sup>o</sup>. quantum ad seipsos attinet, bonis operibus superaedificent se sanctissimae suae fidei, Spiritus Sancti motui obsecundantes instent orationibus, sese in dilectione Dei servent, et cum firma spe in misericordiam D. N. J. C. expectent vitam aeternam  $\text{v.}$  20. 21.

2<sup>o</sup>. Quantum ad pseudo-doctores, horumque assecclas, ut pro triplici diverso eorum statu

- a). alios quidem arguant iudicatos  $\text{v.}$  22.
- b). Alios vero salvent, de igne rapientes.
- c). Aliis autem misereantur. Cum his omnibus vero agant *in timore quodam sancto, odientes et eam, quae carnalis est, maculatam tunicam*, ne ex eorum contactu seu conversatione ipsimet maculentur qui illorum sanationi allaborant  $\text{v.}$  23.

Epistolam pulcherrima doxologia absolvit  $\text{v.}$  24. 25.

*Nota.*

1<sup>o</sup>. Ex  $\text{v.}$  6. constat, Angelos quosdam lapsos esse, peccasse, et e statu suo supernaturali, in quo divinitus constituti fuerant,

irreparabiliter excidisse, verbo: aeternum damnatos esse <sup>1)</sup>. Quae autem *ŷ.* 7. dicuntur, minime obstare dogmati, daemonum et hominum impiorum poenas aeternas esse, inter ceteros clare evincit cl. Perrone. <sup>2)</sup> Apposita hìc sunt quae scribit s. Chrysostomus <sup>3)</sup> „Cur, quaerit, cum admittantur Sodomorum scelera, non tamen „contingunt Sodomorum clades?“ Et respondet „Quia manet istos „ignis alius longe illo gravior, cruciatusque *finem nullum* habens.”

2<sup>o</sup>. Causae haereseon communes: lascivia, superbia, quaestus causa *ŷ.* 16.

3<sup>o</sup>. In *ŷ.* 23. „Moraliter, inquit Cornelius a Lapide <sup>4)</sup>, docet hic B. Judas charitatem fidelium debere esse prudentem et circumspectam, ne dum alios volunt salvare, seipsos perdant. Quare qui conversantur cum peccatoribus, praesertim confessarii, qui foedissima scelera audiunt, praemuniant se oratione, atque odio et execratione maculatae tunicae, puta omnis vitii et sordis. Prius ergo se solident sacerdotes in castitate et virtute, ac deinde cum incestis et sceleratis agant, eosque convertant, ne si in ea debiles sint et infirmi, a validiore obscenitate et scelere vincantur; perinde ac debiles, qui manum natantibus jam submergendis porrigunt, ut eos extrahant, ab iis utpote validioribus in undas pertrahuntur et merguntur.”

*Ego quoque in his faciam finem sermonis, cum ipso Apostolo Juda precatus: EI AUTEM, QUI POTENS EST VOS CONSERVARE SINE PECCATO, ET CONSTITUERE ANTE CONSPECTUM GLORIAE SVAE IMMACULATOS IN EXULTATIONE IN ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, SOLI DEO SALVATORI NOSTRO, PER J. C. D. N., GLORIA ET MAGNIFICENTIA, IMPERIUM ET POTESTAS ANTE OMNE SAECULUM, ET NUNC, ET IN OMNIA SAECULA SAECULORUM. AMEN.*

<sup>1)</sup> cfr. *Tract. de Deo creante et elevante*, auctore Dominico Palmieri, Th. LIX. n. I. III.

<sup>2)</sup> *Tract. de Deo creat.* part. III. cap. VI. art. III. n. 738. 742.

<sup>3)</sup> *Advers. vituperatores vitae monastic.* lib. III. cap. VII.

<sup>4)</sup> In *h. l.*



